





BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 3387

RITVALE
SACRAMENTORVM,
AC ALIARVM ECCLESIÆ CÆREMONIARVM.

Ex Decreto Synodi Prouinc: Petricouien:
ad vniformem Eccleſiarum Regni Polon: vſum
recens editum.

CRACOVIÆ,
In Officina ANDREAE PETRICOVII, S. R. M.
ANNO DOMINI
M. DC. XXXI.

XVII-3387-III

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

IOANNES WĘZYK,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

ARCHIEPISCOPVS GNESNEN:

Legatus Natus, Regni Pol: Primas, & Primus Princeps.

Illustrissimis, Reuerendissimis, Reuerendis, & Venerabilibus Dominis, D. Archiepiscopo Leopolienſi, Episcopis, Prælatis, Abbatibus, Canonicis, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac vniuerso Clero Prouinciæ nostræ; Salutem in Domino.

QVantopere ad Diuinum cultum debitè peragendum interſit: vt Ritus Eccleſiaſtici, in Sacramentorum adminiſtratione, cæterisq; Eccleſiæ functionibus, fiant, non ſolùm magna animi deuotione; verùmetiam externâ quoque decentiâ, & reuerentiâ: docet nos cùm Sacrorum Canonum, tum verò Diuinæ Scripturæ authoritas. Si enim in veteri Teſtamento, quod vmbra noui fuit, tanta diligentiâ atque religione, Ritus illos circa ſacrificia vetera obſeruare neceſsè fuerat; tamq; grauis pœna delinquentes, vel negligentiùs Sacra illa tractantes manebat: quo tandem animi cultu & veneratione, Sacramenta Chriſti, quæ ipſius Sanguine conſecrata ſunt, & ex ipſo vim ſuam accipiunt, tractanda ſunt? Meritò proinde, ipſoq; planè Spiritus San-

cti instinctu, vti catera, ita hoc quoque cauit, & prospexit Sacrum Concilium Tridentinum, vt nonnisi recepti, & approbati ab Ecclesia Catholica Ritus, in omnibus Ecclesiis adhiberentur. Ac hactenus quidem, donec S. Sedis Apostolicæ authoritate, à felicis recordationis Sanctiss: Domino Nostro, PAVLO V. Pontifice Maximo, Rituale Romanum editum fuit, Rituum Ecclesiasticorum modus & ratio in Ecclesiis Regni, & Prouinciæ nostræ, ea obseruata fuit, quæ curâ laudatissimæ memoriæ Illustrissimi Domini STANISLAI KARNKOWSKI, Decessoris nostri, operâ verò & industriâ Admodum Reuerendi Domini Hieronymi Powodowski, Gnesnensis & Cracouiensis Canonici, conscripta & edita fuerat. Sed posteaquam supradictum Rituale Romanum prodijt: visum est laudatissimis Maioribus nostris, Nobisq; adeò ipsis, in duobus superioribus Conciliis Prouincialibus congregatis, Romanæ Ecclesiæ, cuius fidem profitemur, Ritus quoque amplecti: datumq; negotium fuit authoritate dictorum Conciliorum viris, pietate, doctrinâ, prudentiaq; insignibus, ijsdem, quorum fidei Constitutiones Prouinciales recognoscendi cura credita fuit, nimirum Admodum Reuerendis Dominis, Ioanni Foxio, Archidiacono Cracouiensi; & Martino Klocinski, Præposito SS. Corporis Christi Casimiriæ, I. V. Doctoribus; quibus Nos postea adiunximus Reuerendum Dominum Sebastianum Nucerinum, S. Theologiæ Doctorem, Ordinarium Concionatorem Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis, vt communicato cum alijs viris pijs & doctis consilio, Rituale idem Romanum, ad vsum Ecclesiarum Regni, & Prouinciæ nostræ, retentis secundùm doctrinam & præscriptum S. Concilij Tridentini, pijs & laudabilibus Prouinciæ nostræ antiquis consuetudinibus, ederent. Quod tandem Dei beneficio, & ipsorum singulari curâ & studio perfectum, atque vestro Illustrissimi Domini Episcopi, qui in proximis Regni Comitijs fuistis, iudicio propositum & probatum, au

thorit at

thoritate Synodali edimus in publicum, ad maiorem Dei gloriam, & Ecclesiarum Prouinciæ nostræ commodum. Id vt omnes, ad quos animarum cura spectat, suis in Ecclesiis habeant, atque ex eius præscripto, tam Sacramentalia, quàm Cæremonialia administrent, hortamur quemcunq; in Domino, & Synodali authoritate præcipimus. Veteres autem Agendorum libros, quorum hactenus in Prouincia nostra vsus fuit, penitus abolemus, illorumq; vsum temporibus perpetuis interdicimus, decernentes eiusdem Synodi edicto perpetuo, nullum alium Agendorum vel Rituales Librum, præterquam hunc præsentem, in omnibus Ecclesiis Prouinciæ nostræ haberi, ex eiusq; præscripto administrari, omniaq; peragi debere. Datum Louicij, die XV. Martij. Anno Domini, M. DC. XXXI.

Index & Ordo præcipuarum rerum, quæ in prima parte huius Ritualis libri continentur.

De ijs, quæ in Sacramentorum administratione generaliter seruanda sunt, pagina 1.
De Sacramento Baptismi ritè administrando, 4.
Ordo Baptismi Paruulorum, 11.
De Baptismo adultorum, 20.
Ordo supplendi omissa super Baptizatum, 37.
Ritus seruandus cùm Episcopus baptizat, 39.
Benedictio fontis Baptismi extra Sabbatum Sanctum Paschæ & Pentecostes, cùm aqua consecrata non habetur, 40.
De Sacramento Pœnitentiæ, 43.
De absolutione ab Excommunicatione in foro exteriori, 47.
Ritus absoluendi excommunicatum iam mortuum, 48.
De modo absoluendi à suspensione, vel ab Interdicto, 49.
De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, 50.
Ordo administrandi Sacram Communionem, 52.
De Communione Paschali, 54.
De Communione infirmorum, 55.
De Sacramento Extremæ Vnctionis, 59.
Ordo administrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis, 61.
Septem Psalmi Pœnitentiales, 66.
Litaniæ, 73.
De visitatione & cura infirmorum, 79.
Modus iuuandi morientes, 90.
Ordo commendationis animæ, 92.
De Exequijs, 109.
Quibus non licet dari Ecclesiasticam sepulturam, 111.
Exequiarum ordo, eadem.
Ordo exequiarum breuior ex vsu Prouinciæ huius, 120.

fuci-

Officium Defunctorum, pagina 121.
De officio faciendo in exequijs, absente corpore defuncti, & in die tertio, septimo, trigesimo, & anniuersario, 163.
De Exequijs Paruulorum, 164.
De Sacramento Matrimonij, 170.
Ritus celebrandi Matrimonij Sacramentum, 173.
Benedictio nouæ nuptæ post nuptias, 177.
De Benedictione mulieris post partum, 179.
Catechesis de Matrimonio, Latinè, 180. Polonicè, 183 Germanicè, 127.
Catechesis de Eucharistia, Latinè, 130. Polonicè, 133. Germanicè, 136.
Canones Pœnitentiales, 140.
Casus reseruati Papæ in Bulla Cœnæ Domini, 146.
Aliæ Excommunicationes Papæ reseruatæ extant in Iure varijs locis, ex quibus præcipuæ hic subnectuntur, maximè quarum notitiæ vsus in hoc Regno esse potest. 148.
Excommunicationes præcipuæ reseruatæ Papæ, extra Iuris corpus contentæ, 149.
Casus Episcopales, 150.

PARS PRIMA RITVALIS.

DE SACRAMENTIS.

De ijs quæ in Sacramentorum administratione generaliter seruanda sunt.

VT ea, quæ ex antiquis Catholicæ Ecclesiæ institutis, & Sacrorum Canonum, Summorumq; Pontificum Decretis, de Sacramentorum Ritibus ac cærimonijs hoc Libro præscribuntur, quâ par est diligentiâ ac religione custodiantur, & vbiq; fideliter seruentur; illud ante omnia scire & obseruare conuenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus de ijs Ritibus decreuit in hæc verba:

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. *Sess: 7. c. 13.*

Cùm igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius aut vtilius, nihilq; excellentius aut magis diuinum habeatur, quàm Sacramenta ad humani generis salutem à Christo Domino instituta; Parochus, vel quiuis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse inprimis debet, se sancta tractare; atq; omni ferè tẽporis momento ad tam sancta administrationis officiũ paratum esse oportere.

Quamobrem illud perpetuò curabit, vt integrè, castè, pièq; vitam

agat: nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque à prauis ministris eorum effectus impediri; impurè tamen & indignè ea ministrantes, in aternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde pœniteat: sed si habeat copiam Confessarij, & temporis lociq; ratio ferat, conuenit confiteri.

Quacunq; diei ac noctis horâ ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstando (præsertim si necessitas vrgeat) moram interponat. Ac propterea populum sæpè, prout sese offeret occasio, præmonebit, vt cùm sacro ministerio opus fuerit, se quamprimùm aduocet, nulla tẽporis aut cuiuscunq; incõmodi habita ratione.

Ipse verò antequam ad huiusmodi administrationem accedat, paululùm, si opportunitas dabitur, orationi, & sacræ rei quã acturus est meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi & cærimonias pro temporis spatio præuidebit & perleget.

In omni Sacramentorum administratione, superpelliceo sit indutus, & desuper stola, eius coloris quem Sacramenti ritus exposcit, nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando, occasio vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

Adhibebit quoque vnum saltem, si habeat, vel plures Clericos, prout loci & Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu & superpellicco pariter indutos.

Curabit etiam, vt sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina, & vasa ministerij integra, nitidaq; sint & munda.

In Sacramentorum administratione, eorum virtutem, vsum, ac vtilitatem, & cærimoniarum significationes, vt Concilium Tridentinum præcipit, ex Sanctorum Patrum & Catechismi Romani doctrinâ, vbi commodè fieri poterit, diligenter explicabit.

Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quæ ad illius for-

illius formam & ministerium pertinent, attentè, distinctè, & piè, atque clara voce pronunciabit. Similiter & alias Orationes & Preces deuotè ac religiosè dicet; nec memoriæ, quæ plerunque labitur, facilè confidet; sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cærimonias ac ritus, ita decenter grauiq; actione peraget, vt adstantes ad cælestium rerum cogitationem erigat, & attentos reddat.

Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit, nec de ijs, quæ ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur, in ipsaq; administratione actualẽ attentionẽ habere studeat, vel saltem virtualẽ, cum intẽtione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.

Illud porrò diligenter caueat, ne in Sacramentorum administratione aliquid, quauis de causa vel occasione, directè vel indirectè, exigat aut petat; sed ea gratis ministret, & ab omni Simoniæ atq; auaritiæ suspicione, nedum crimine, longissimè absit. Si quid verò nomine eleemosynæ, aut deuotionis studio, peracto iam Sacramento, sponte à fidelibus offeratur, id licitè pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur.

Fidelibus alienæ Parochiæ, Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia Parochi, seu Ordinarij.

Omnes autẽ qui Sacramenta suscipiunt, loco & tẽpore opportuno monebit, vt remoto inani colloquio, & habitu actuq; indecenti, piè ac deuotè Sacramentis intersint, & eâ quâ par est reuerentiâ, suscipiant.

Librũ hunc Ritualẽ (vbi opus fuerit) semper cùm ministrabit, secũ habebit, ritusq; & cærimonias in eo præscriptas, diligenter seruabit.

Cæterùm illorũ tãtùm Sacramẽtorũ, quorũ administratio ad Parochos pertinet, ritus hoc Opere præscribũtur: cuiusmodi sunt, Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema vnctio, & Matrimonium. Reliqua verò duo Sacramẽta, Cõfirmationis & Ordinis, cũ propria sint Episcoporũ, ritus suos habẽt in Põtificali præscriptos. Et ea, quæ de ijs atq; aliis Sacramẽtis scire, seruare, & docere Parochi debẽt, cùm

ex aliis libris, tum præcipuè ex Catechismo Romano sumi possunt. Siquidem hîc de ijs ferè tantùm agere instituti operis ratio postulat, quæ ad ipsorum quinq; Sacramentorum ritus pertinent.

Postremò, quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosq; præsertim, in quibus variarum Parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam describuntur: vt ad finem huius Ritualis habetur.

DE SACRAMENTO BAPTISMI RITE ADMINISTRANDO.

SAcrvm *Baptisma, Christianæ religionis, & æternæ vitæ ianuam, quod inter alia nouæ Legis Sacramenta à* Christo *instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, ipsa Veritas testatur illis verbis:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. *Itaq; summa, ad illud opportunè ritèq; administrandum ac suscipiendum, diligentia adhibenda est.*

Cùm autem ad hoc Sacramentum conferendum, alia sint de iure diuino absolutè necessaria; vt Materia, Forma, Minister; alia ad illius solemnitatem pertineant, vt Ritus ac cærimoniæ, quas ex Apostolica & antiquissima traditione acceptas & approbatas, nisi necessitatis causâ, omittere non licet; de ijs aliqua præmonenda sunt, vt sacrum hoc ministerium ritè ac sanctè peragatur.

De materia Baptismi.

AC primùm intelligat Parochus, cùm huius Sacramenti materia sit Aqua vera ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

Aqua verò solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in Fonte mundo nitida & pura diligenter conseruetur: & hæc, quando noua benedicenda est, in Ecclesiæ, vel potiùs Baptisterij sacrarium effundatur.

Si Aqua benedicta tam imminuta sit, vt minùs sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest: in minori tamen quantitate.

Si verò corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quouis modo defecerit; Parochus in Fon-

in Fontem benè mundatum ac nitidum recentem Aquam infundat, eamq; benedicat ex formula, quæ infrà præscribitur.

Sed si Aqua conglaciata sit, curetur vt liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum Aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiscere Aquæ Baptismali in vasculo ad id parato, & eâ tepefactâ ad Baptizandum vti, ne noceat infantulo.

De forma Baptismi.

QVoniam Baptismi Forma his verbis expressa: **Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,** omnino necessaria est; ideò eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba vno & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt.

Latinus Presbyter, Latinâ formâ semper vtatur.

Cùm Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione, de quo infra, sit baptizandus, ea conditio explicanda est, hoc modo: **Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.** Hac tamen conditionali forma, non passim, aut leuiter vti licet; sed prudenter, & vbi re diligenter perquisitâ, probabilis subest dubitatio, Infantem non fuisse baptizatum.

Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem Aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem: primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in vsu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita vt trinâ ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis vno & eodem tempore, quo verba proferuntur, & idem sit aquam adhibens, & verba pronuntians.

Vbi verò Baptismus fit per infusionem Aquæ, cauendum est, ne Aqua ex Infantis capite in Fontem, sed vel in Sacrarium Baptisterij, prope ipsum Fontem extructum defluat, aut in aliquo vase, ad hunc vsum parato, recepta, in ipsius Baptisterij, vel in Ecclesiæ Sacrarium effundatur.

De Ministro Baptismi.

LEgitimus quidem Baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho vel ab Ordinario loci delegatus: sed quoties Infans, aut adultus, verlatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate à quocumq; baptizari in qualibet lingua, siue Clerico, siue laico, etiam excommunicato, siue fideli, siue infideli, siue Catholico, siue Hæretico, siue viro, siue fœmina: seruatâ tamen forma & intentione Ecclesiæ.

Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus

laico, & vir fœminæ: nisi pudoris gratiâ, deceat Fœminam potiùs quàm virum baptizare Infantem non omninò editũ; vel nisi meliùs fœmina sciret formam & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, vt fideles, præsertim Obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant & seruent.

Pater aut mater, propriam prolem baptizare non debet, præterquàm in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet; neq; tunc vllam contrahunt cognationem, quæ matrimonij vsum impediat.

De Baptizandis Paruulis.

OPportunè Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, vt natos Infantes, siue baptizandos, siue baptizatos, quamprimùm fieri poterit, & qua decet Christianâ modestiâ, sine pompæ vanitate deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimiùm differatur cum periculo salutis; & vt ijs, qui ex necessitate priuatim baptizati sunt, consuetæ cœrimoniæ ritusq; supppleantur, omissâ formâ & ablutione.

Nemo in vtero matris clausus baptizari debet. Sed si Infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si viuus euaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictum est: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. Si verò ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex vtero, debet in loco sacro sepeliri.

Si Mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimùm cautè extrahatur, ac si viuus fuerit, baptizetur: si fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet.

Infantes Expositi, & inuenti, sire diligenter inuestigatâ, de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur.

In Monstris verò baptizandis, si casus eueniat, magna cautio adhibenda est: de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alij periti consulantur, nisi mortis periculum immineat.

Monstrum, quod humanam speciem non præseferat, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: Si tu es homo, ego te baptizo, &c.

Illud verò, de quo dubium est, vna ne, aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat vnum vel plura capita, vnum

ta, vnum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesq; distincti, & eo casu singuli seorsum sunt baptizandi; vnicuiq; dicendo: Ego te baptizo, &c. Si verò periculum mortis immineat, tempusq; non suppetat, vt singuli separatim baptizentur; poterit Minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo: Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quam tamen formam in ijs solùm, & in alijs similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos, & vbi tempus non patitur vt singuli separatim baptizentur, aliás numquam, licet adhibere.

Quando verò non est certum in monstro esse duas personas, vt quia duo capita & duo pectora non habet benè distincta; tunc debet primùm vnus absolutè baptizari, & postea alter sub conditione, hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

De Patrinis.

PArochus antequam ad baptizandum accedat, ab ijs, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Susceptores seu Patrinos elegerint, qui infantem de sacro Fonte suscipiant: ne plures quàm liceat, aut indignos vel ineptos admittat.

Patrinus vnus tantùm, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus & vna adhibeantur ex decreto Concilij Tridentini: sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neq; ipsius baptizandi pater aut mater.

Hos autem Patrinos, saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maximè conuenit.

Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publicè excommunicatos aut interdictos, nõ publicè criminosos aut infames, nec præterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei: hæc enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi Fonte susceperint, vbi opus fuerit, opportunè docere tenentur.

Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neq; alij cuiusuis Ordinis Regulares à sæculo segregati.

De tempore & loco administrandi Baptismi.

QVamuis Baptismus quouis tempore, etiam Interdicti & cessationis à Diuinis, præsertim si vrgeat necessitas, conferri possit: tamen duo potissimùm ex anti-

antiquissimo Ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus solemni cærimoniâ hoc Sacramentum administrari maximè conuenit: nempè Sabbatum sanctum Paschæ, & Sabbatum Pentecostes: quibus diebus, Baptismalis Fontis aqua ritè consecratur. Quem ritum, quantum fieri commodè potest, in Adultis Baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certè non omninò prætermitti, præcipuè in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis.

Ac licet vrgente necessitate, vbiq; baptizare nihil impediat: tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons Baptismalis, vel certe Baptisterium propè Ecclesiam.

Itaq;, necessitate exceptâ, in priuatis locis nemo baptizari debet; nisi fortè sint Regum aut magnorum Principum filij, id ipsis ita deposcentibus; dummodò id fiat in eorum Capellis, seu Oratorijs, & in Aqua Baptismali de more benedicta.

Baptisterium sit decenti loco, & forma, materiaq; solida, & quæ aquam benè contineat, decenter ornatum, & cancellis circumseptum, sera & claue munitum, atq; ita obseruatum, vt puluis vel aliæ sordes intrò non penetrent: in eoq;, vbi commodè fieri potest, depingatur imago sancti Ioannis Christum baptizantis.

De sacris Oleis, & alijs requisitis.

SAcrum Chrismα, & sanctum Oleum, quod & Catechumenorum dicitur, quorum vsus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Feria quinta in Cœna Domini.

Curet Parochus, vt ea suo tempore quamprimùm habeat, & tunc vetera in Ecclesia comburat.

Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, vltrà annum non vtatur; ac si deficere videantur, & Chrisma, aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de oliuis non benedictum adijciatur, sed in minori quantitate.

Chrisma & Oleum sacrum, sint in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis benè obturatis: quæ vascula sint inter se distincta, & propriam vnumquodq; inscriptionem habeat maiusculis litteris incisam, ne quis error committatur.

Ad vsum verò quotidianum minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno; siue separata, siue etiam coniuncta: aptè tamen distincta & benè cooperta, & cum suis inscriptionibus vt suprà, ne Parochus aberret, & vnum pro altero sumat, quod cauere debet diligenter.

In ea igitur ex maioribus vasculis, Chrismatis & Olei, quod sufficiat, infundatur; atq; vt effusionis periculum caueatur, commodum erit in his vasculis bombacium

bombacium seu quid simile habere, Oleo sacro & Chrismate separatim perfusum, in quæ pollex, cùm opus est, ad inungendum immittatur.

Hæc vascula ita parata, in loco proprio, honesto, ac mundo, sub claue ac tuta custodia decenter asseruentur, ne ab aliquo nisi à Sacerdote temerè tangantur, aut eis sacrilegè quispiam abuti possit.

Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel per alium Sacerdotem; vel saltem per alium Ecclesiæ ministrum hæc Olea deferantur: caueat item, ne de ijs quidquam vlli vmquam tribuat, cuiusuis rei prætextu.

Sal, quod in os baptizandi immittendum est, sit benedictum suâ peculiari benedictione, quæ infra præscribitur; neq; vtatur sale exorcisato ad benedicendum aquam; sitq; priùs benè confractum & attritum, siccum ac mundum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neq; etiam ijs, qui benedicendum attulerint, reddatur; sed ad alios baptizandos seruetur, aut in Sacrarium abijciatur.

Cùm igitur Baptismi Sacramentum iam administrandum est, hæc in promptu esse debent:

Vascula sacri Olei Catechumenorum, & Chrismatis.

Vasculum cum Sale benedicendo, vel iam, vt dictum est, benedicto.

Vasculum, seu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquã Baptismi fundendã supra caput baptizandi, quod nulli præterea alij vsui deseruiat.

Peluis seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in sacrarium defluat.

Gossipium, alio nomine bombacium, seu quid simile ad abstergenda loca, sacris oleis iuncta.

Stolæ duæ, vbi commodè haberi possunt, vna violacea & altera alba, vt infra notatur, munda; sin minùs, vna saltem adhibeatur.

Medulla panis, qua iuncti Sacerdotis digiti, cùm manus lauat abstergantur, & vas pro manuum lotione post Baptismum, quòd huic tantùm vsui deseruire decet.

Alba vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum, infantis capiti imponendum.

Cereus, seu candela cerea, baptizato ardens tradenda.

Hic deniq; Ritualis liber sit paratus, & item liber Baptismalis, in quo Baptizati describuntur.

Omnibus igitur opportunè præparatis Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem lotis manibus, superpelliceo, & stola violacea indutus accedat,

Clericum vnum seu plures, si potest secum adhibeat superpelliceo pariter indutos qui sibi ministrent.

Ita paratus accedat ad limen Ecclesiæ, vbi foris expectant qui infantem detulerunt.

Interroget (nisi de his benè sibi constet) an sit suæ Parochiæ, masculus an fœmina, an sit domi baptizatus, & à quo, & quam ritè: & qui sint compatres, qui infantem teneant, pro eoq; respondeant; quos piè ac decenter assistere, ac prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat.

Et quoniam ijs qui baptizantur, tanquam Dei filijs in Christo regenerandis, & in eius militiam adscribendis nomen imponitur, curet, ne obscæna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potiùs quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad piè viuendum excitentur, & patrocinijs protegantur.

His igitur expeditis, & accepto nomine baptizandi, positi, si infans fuerit super brachium dextrum illius, qui eum defert, Parochus ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

ORDO BAPTISMI PARVVLORVM.

N. Quid petis ab Ecclesia Dei? Patrinus respondet: Fidem.
Polonicè. Czego żadaß od Kościołá Bożego? R. Wiáry.
Germanicè. Was begerestu von der heiligen Kirchen.
R. Den glauben.

Sacerdos. Fides quid tibi præstat? R. Vitam æternam.
Polonicè. Wiárá coć dawa. R. Żywot wieczny.
Germanicè Was gibt dir der glaube. R. Das ewige leben.

Sacerdos. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.

Polonicè. Jeśli chceß do żywotá wnisć/choway przykazánia: Będzieß miłował Páná Bogá twego ze wßytkiego sercá twego / y ze wßytkiey duße twoiey / y ze wßytkiey mysli twoiey; á bliźniego swego / iáko siebie sámego.

Germanicè. Wilstu in das leben eingehen so halte die gebott: Du solst Gott lieben von gantzem deinem hertzen / von gantzer deiner seelen / von gantzem deinem gemüt; vnd deinen nechsten als dich selbst.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, & dicat semel: Exi ab eo, vel ab ea, immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto Paraclito. Postea pollice faciat signum Crucis in fronte, & in pectore infantis, dicens: Accipe signum Crucis tam in fronte quàm in corde ✠ sume fidem cælestium præceptorum, & esto moribus, vt templum Dei iam esse possis.

Oremus.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi super hunc electum tuum, seu electam tuam, Crucis Dominicæ impressione signatum, vel signatam, perpetuâ virtute custodi vt

tudinis gloriæ tuæ rudimenta seruans per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput infantis, ac dicat:

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesv Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum, vel hanc famulam tuam N. quem vel quam ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem cœcitatem cordis ab eo expelle; disrumpe omnes laqueos sathanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus, vel imbuta, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suauem odorem præceptorum tuorum lætus (vel læta) tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem. Per eundem Dominum nostrum Iesvm Christum Filium tuum: Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat salem, qui semel benedictus, aliâs ad eundem vsum deseruire potest.

Benedictio Salis.

EXorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, ✠ & in charitate Domini nostri Iesv Christi ✠ & in virtute Spiritus sancti, ✠ exorcizo te per Deum viuum, ✠ per Deum verum, ✠ per Deum Sanctum, ✠ per Deum, ✠ qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad creduitatem, per seruos suos consecrari præcepit, vt in nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, vt hanc creaturam salis sanctificando sanctifices, ✠ & benedicendo benedicas, ✠ vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in

nens in viscéribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri IESV Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde immittat modicum Salis benedicti in os infantis, dicens: N. Accipe Salem sapientiæ, propitiatio sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen. Sacerdos. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus Patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis: te supplices exoramus, vt hunc famulum tuum, vel hanc famulam tuam N. respicere digneris propitius, & hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quominùs cibo expleatur cælesti, quatenus sit semper spiritu feruens, spe gaudens, tuo semper nomini seruiens. Perduc eum Domine, quæsumus, ad nouæ regenerationis lauacrum; vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXorcizo te immunde spiritus: in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus sancti, ✠ vt exeas & recedas ab hoc famulo, vel famula Dei N. ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus suis super mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

ERgo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero: da honorem IESV Christo Filio eius, & Spiritui sancto: & recede ab hoc famulo, vel famula Dei N. quia istum sibi Deus, & Dominus noster IESVS Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemq; Baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat infantem dicens: Et hoc signum sanctæ Crucis ✠ quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BIBL. Z.N.M. OSSOLIN

Mox imponit manum super caput infantis, & dicit:

Oremus.

ÆTernam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis, super hunc famulum tuũ, (vel hanc famulam tuã,) vt digneris eum, vel eam, illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum (vel eam) & sanctifica: da ei scientiam veram, vt dignus vel digna) gratiâ Baptismi tui effectus, (vel effecta,) teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ super infantem, & introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N. Ingredere in templum Dei, vt habeas partem cum Christo in vitam æternam. Amen.

Cùm fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus coniunctim clara voce dicit:

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in Iesvm Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionẽ peccatorum: Carnis resurrectionẽ, vitam æternam. Amen.

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

[illegible]lat ad Baptisterium dicat.

Exorci-

Exorcismus.

EXorciso te omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis, ✠ & in nomine IESV Christi Filij eius Domini & iudicis nostri, ✠ & in virtute Spiritus sãcti, ✠ vt discedas ab hoc plasmate Dei N. quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, vt fiat templum Dei viui, & Spiritus sanctus habitet in eo. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliua oris sui, & tangat aures & nares infantis: tangendo verò aurem dexteram & sinistram, dicat: Ephpheta, quod est adaperire. Deinde tangat nares, dicens: In odorem suauitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Postea interrogat baptizandum nominatim, dicens:

N.	Abrenuntias Sathanæ?	Respondeant Patrini.	Abrenuntio.
Polon.	N. Odrzekaß sie duchá zlego?		Odrzekam.
Germ.	N. Widersagstu dem Täuffel?		Ich widersage.

Sacerdos rursus interroget.

	Et omnibus operibus eius?	Respon.	Abrenuntio.
Polon.	I wßytkich spraw iego?		Odrzekam.
Germ.	Vnd allen seinen wercken?		Ich widersage.

Sacerdos

	Et omnibus pompis eius?	Respo	Abrenuntio.
Polon.	I wßelkiey pychy iego?		Odrzekam.
Germ.	Vnd aller seiner hoffart?		Ich widersage.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, & infantem vngit in pectore & inter scapulas in modum Crucis dicens: Ego te linio ✠ oleo salutis in Christo IESV Domino nostro, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Hic deponit stolam violaceam, & sumit aliam alb[a]

Subinde pollicem, & inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili: & interrogat expresso nomine baptizandum, Patrino respondente.

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ? ℟. Credo.

Polon. ℣. Wierzyß w Bogá Oycá wßechmogącego / stworzyćielá niebá y ziemie? ℟. Wierze.

Germ. Glaubstu in Gott dem Vater allmechtigen / Schöpffer Himmels vnd der Erden? ℟. Ich glaub.

Sacerdos.

Credis in IESVM Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Polon. Wierzyß w Jezusá Chrystusá Synà iego iedynego Páná nászego / narodzonego / y vmeczonego? ℟. Wierze.

Germ. Glaubstu auch in IESVM Christum seinen / einigen Shon / vnsern Hern / der geboren / gelitten. ℟. Ich glaub.

Sacerdos.

Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. ℟. Credo.

Polon. Wierzyß w Duchá swietego / swiety Kościoł powßechny / Swietych obcowánie / grzechow odpußczenie / Ciáłá zmartwychwstánie / żywot wieczny. ℟. Wierze.

Germ. Glaubst du an den Heiligen Geist / eine Heilige allgemeine Christliche Kirche / die gemeinschafft der Heiligen / vergebung der Sünden / auffer stehung des Fleisches / ein ewiges Leben? ℟. Ich glaube.

Deinde expresso nomine baptizandi, Sacerdos dicit:

N. Vis baptizari?
Polon. ℣. Chcesz bydź ochrzczon? } Respon. { Volo; Chce.
Willstu getaufft werden? } { Ja ich wil.

Tunc Patrinus vel Matrina, vel vtroque (si ambo admittantur) infantem ex manibus sacerdotis vel ministri, seu vicecoli accipit aquam Baptismalem, &

lem, & de ca ter fundit supra caput infantis, in modum Crucis, & simul verba proferens semel tantùm distinctè, & attentè dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ fundat primò, & Filij, ✠ fundat secundò & Spiritus ✠ sancti, fundat tertiò.

Mox Patrinus vel Matrina, vel vterq; simul infantem de sacro fonte leuant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

Si verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus, vtatur hac forma.

N. Si nõ es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti. Deinde intingit pollicẽ in sacro Chrismate, & vngit infantẽ in summitate capitis in modum Crucis, dicẽs:

DEvs omnipotens, Pater Domini nostri IESV Christi, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, quiq; dedit tibi remissionem omnium peccatorum; (hic inungit) ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam. ℟. Amen.

Sacerdos Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

Tum bombacio, aut re simili abstergit pollicem suum, & locum inunctum, & imponit capiti eius linteolum candidũ loco vestis albæ, dicens

Accipe vestẽ candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri IESV Christi, vt habeas vitã æternam. ℟. Amẽ.

Postea dat ei, vel Patrino, candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum; serua Dei mandata, vt cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei vnà cum omnibus Sanctis in aula cælesti, habeasq; vitã æternam, & viuas in sæcula sæculorũ. ℟. Amẽ.

Postremò dicit: N. Vade in pace, & Dominus sit tecum. ℟. Amen.

Si verò fuerint plures baptizandi, siue masculi, siue fœminæ, in Catechismo masculi statuantur ad dexteram, fœminæ verò ad sinistram, & omnia pariter dicantur, vt supra in proprio genere, & numero pluralis; verùm prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio, insignatio, tactus aurium, & narium cum saliua abrenuntiatio, vnctio Olei Catechumenorum, interrogatio de fide, seu

ipse Baptismus, inunctio chrismatis, candidæ vestis impositio, atq; accensæ candelæ traditio singulariter singulis, & primùm masculis, deinde fœminis fieri debent.

Si infans vel adultus ægrotus adeò grauiter laboret, vt periculum immineat ne pereat, antequam Baptismus perficiatur, Sacerdos omissis, quæ Baptismũ præcedunt, cùm baptizet, ter vel etiam semel infundens aquam super caput eius in modum Crucis, dicens: Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.

Si non habeatur aqua baptismalis, & periculum impendeat, Sacerdos vtatur aqua simplici.

Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice, dicens: Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, &c. vt supra.

Postea dat ei linteolum candidum, dicens: Accipe vestem, &c.

Ac demum det ei ceream candelam accensam, dicens: Accipe lampadem, &c. vt suprà. Si superuixerint, suppleantur alij ritus omissi.

Admonendi sunt susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre & matre, quæ cognatio impedit matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices paruulum habeant, propter oppressionis periculum: sed eum diligenter custodiant, & opportunè ad Christianam disciplinam instituant.

Commonendi sunt etiam parentes, & alij si opus fuerit, ne filios Hebræis, alijsuè infidelibus vel Hæreticis mulieribus vllo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut susceptores discedant eorum nomina, & alia de administrato Baptismo, ad præscriptam formam in Baptismali libro Parochus accuratè describat.

De Baptismo Adultorum.

Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundùm Apostolicam regulam in Christiana fide, & sanctis moribus diligenter instrui, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, eiusq; voluntas & propositum sæpiùs explorari, & nonnihil sciens, & volens, probèq; instructus baptizari.

Si verò si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizariq; [illegible] habita ratione periculi vel necessitatis baptizetur.

Adulto-

Adultorum Baptismus, vbi commodè fieri potest, ad Episcopum deferatur, vt si illi placuerit, ab eo solennius conferatur, alioquin Parochus ipse baptizet stata cæremonia.

Decet autem huiusmodi Baptismum ex Apostolico instituto, in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, solenniter celebrari.

Quare si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri conuenit.

Verùm si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conuersi fuerint, qui ægrè ferant suum Baptisma in longum tempus differri, & ad illud festinent, instructiq; ac ritè parati esse noscantur, citiùs baptizari possunt.

Catechumenus instructus baptizetur in Ecclesia seu in baptisterio. Patrinus ei assistat, & ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat; nisi mutus fuerit, aut omninò surdus, vel ignotæ linguæ: quo casu vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretẽ, vel nutu consensum explicet suũ.

Pro huius autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quàm ipsos adultos, qui sani sunt, conuenit esse ieiunos.

Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

Admonendus est Catechumenus, vt peccatorum suorum pœniteat.

Amentes & furiosi non baptizentur, nisi tales à natiuitate fuerint: tunc enim de ijs idem iudicium faciendum est, quod de infantibus: atq; in fide Ecclesiæ baptizari possunt.

Sed si dilucida habeant interualla, dum mentis compotes sunt, baptizentur si vellint. Si verò antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculũ immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur.

Idemq; dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat: vt tantum vigilans & intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo priùs apparuerit Baptismi desiderium.

Sacerdos diligenter curet, vt certior fiat de statu & conditione eorum, qui baptizari petunt, præsertim exterorum. De quibus facta diligenti inquisitione, num aliàs ac ritè sint baptizati, caueat, ne quis iam baptizatus imperitia, vel errore, aut ad quæstũ, vel ob aliã causam, fraude, doloue iterũ baptizari velit.

Omnes autem de quibus re diligenter inuestigata probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediat, sub conditione baptizentur.

Hæretici verò ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo

debita forma, aut materia seruata non est, ritè baptizandi sunt; sed prius errorum suorum prauitatem agnoscant, & detestentur, & in fide Catholica diligenter instruantur; vbi verò debita forma & materia seruata est, omissa tantùm suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

Cæterum legantur & seruentur ea, quæ suprà de Baptismo in communi præscripta sunt folio.

ORDO BAPTISMI ADVLTORVM.

Inprimis Sacerdos paratis his, quæ suprà de obseruandis in administratione Sacramenti Baptismi paruulorum dicuntur, indutus superpelliceo, & stola, vel etiam pluuiali violacei coloris, cum suis Clericis accedit ad gradus altaris, & genibus flexis, pias mente ad Deum preces effundit, vt tantum Sacramentum dignè valeat ministrare, & ad implorandum Diuinum auxilium surgens se signat, & si temporis ratio ferat, dicit:

DEus in adiutorium meum intende. ℣. Domine ad adiuuandum me festina.

GLoria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

SIcut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula, &c.

Antiphona. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

Psalmus 8.

DOmine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terrra!

QUoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.

EX ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas inimicum & vltorem.

QUoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundasti.

QUid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

MInuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloria & honore coronasti eum,

eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.
Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.
Volucres cœli & pisces maris: qui perambulant semitas maris.
Domine Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula, &c.

Psalmus 28.

Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.
Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.
Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.
Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.
Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.
Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.
Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum: & commouebit Dominus desertum Cades.
Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.
Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit Dominus Rex in æternum.
Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Psalmus 41.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi es Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsq; ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonym à monte modico.

Abyssus abyssum inuocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua & fluctus tui: super me transierunt.

In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, &c.

Et repetitur Antiph. Effundam super vos aquam mundam.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et

℣. Et ne nos inducas in tentationē. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis.

ADesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu.

DA quæsumus Domine, electo nostro: vt sanctis edoctus mysterijs, & renouetur fonte baptismatis, & inter Ecclesiæ tuæ membra numeretur. Per Christum Dominum, &c. ℟. Amen.

Si plures fuerint baptizādi, hæc tertia oratio dicatur in numero plurali.

Deinde Sacerdos procedit ad fores Ecclesiæ, & stat in limine, catechizandus verò extra limen. Et si sunt plures mares & fœminæ, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ verò ad sinistram statuantur, & Sacerdos interrogat.

QVo nomine vocaris? Catechumenus respondet. N.

Sacerdos. Quid petis ab Ecclesia Dei? ℟. Fidem.

Sacerdos. Fides quid tibi præstat? ℟. Vitam æternam.

Sacerdos. Si vis habere vitam æternam, serua mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Fides autem est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate venereris: neq; confundendo personas, neq; substantiam separando. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, sed horum trium vna est substantia, & nonnisi vna Diuinitas.

Et rursus interrogat. N. Abrenuntias Sathanæ? ℟. Abrenuntio. Interrog. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.

Inter-

Interrog. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo fidei, dicens:

Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam. ℟. Credo.

Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem eius, semel dicens:

Exi ab eo spiritus immunde, & da locum Spiritui sancto Paraclito.

Hic in modum Crucis halet in faciem ipsius, & dicat:

N. Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem, & Dei benedictionem. ✠ Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Deinde facit Crucem cum pollice in eius fronte, & in pectore, dicens:

N. Accipe signum Crucis, tàm in fronte, ✠ quàm in corde, ✠ sume fidem cælestium præceptorum. Talis esto moribus, vt templum Dei iam esse possis; ingressusq; Ecclesiam Dei, euasisse te laqueos mortis lætus agnosce: horresce idola; respue simulachra; cole Deum Patrem omnipotentem, & Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Hic aduertendum est, quod dicta verba: Horresce idola, respue simulachra, dicantur Catechumeno, qui venit de gentilitatis errore, seu de Ethnicis, & idololatris. Catechumeno verò Iudæo, siue ex Hebræis venienti, loco horum verborum dicatur: horresce Iudaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem. Saraceno autem, vel Turcæ, aut Persæ, siue alij ex Mahumetanis ad fidem venienti Catechumeno, loco eorundem verborum dicatur: horresce Mahumeticam perfidiam, respue prauam sectam infidelitatis.

At Hæ-

At Hæretico ad Catholicam Ecclesiam venienti, qui, si in eius Baptismo debita forma seruata non est, baptizari debet, dicatur: Horresce hæreticam prauitatem, respue nefarias sectas impiorum. vel exprimatur proprio nomine secta, de qua Catechumenus venit.

Si plures sunt electi, omnia supradicta dicũtur sigillatim super singulis.

Oremus.

TE deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, vt huic famulo tuo N. qui in huius seculi nocte vagatur incertus ac dubius, viam veritatis & agnitionis tuæ iubeas demonstrari: quatenus reseratis oculis cordis sui, te vnum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre, cum Spiritu Sancto recognoscat, atque huius confessionis fructum, & hic, & in futuro sẽculo percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures fuerint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali, & in genere suo.

Deinde signet illum signo Crucis cum pollice in fronte, dicens:

Signo tibi frontem ✠ vt suscipias Crucem Domini.

In auribus. Signo tibi aures ✠ vt audias Diuina præcepta.

In oculis. Signo tibi oculos ✠ vt videas claritatem Dei.

In naribus Signo tibi nares ✠ vt odorem suauitatis Christi sentias.

In ore. Signo tibi os ✠ vt loquaris verba vitæ.

In pectore. Signo tibi pectus ✠ vt credas in Deum.

In scapulis. Signo tibi scapulas ✠ vt suscipias iugum seruitutis eius.

In toto corpore illud non tangens, manu producit signum crucis, & dicit: Signo te totum in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ Sancti, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Si plures sint electi, præcedentes Orationes, & exorcismi dicantur in numero plurali, & genere suo. Signationes autem fiant, & illarum verba dicantur singula singulis.

Oremus.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ, cuius impressione eum signamus, virtute custodi, vt magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta seruans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEvs qui humani generis ita es conditor, vt sis etiam reformator, propitiare populis adoptiuis, & nouo testamento sobolem nouæ prolis adscribe, vt filij promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc imponit manum super caput electi, & dicit:

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere digneris super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cœcitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suauem odorem præceptorum tuorum, lætus tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, perceptâ medicinâ. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen..

Si plures sint, hæc & præcedens Oratio, Preces nostras, dicantur in numero plurali.

Deinde Sacerdos benedicit sal.

Benedictio salis dandi Catechumeno.

EXorcizo te creatura salis, &c. vt in ordine Baptismi paruulorum. fol. 12.

Tunc

Tunc pollice & indice accipit de ipso sale, & immittit in os Catechumeni, dicens: N. Accipe sal sapientiæ, propitiatio sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs Patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis, te supplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, & hoc primum pabulum salis gustantem nō diutiùs esurire permittas, quominùs cibo expleatur cælesti, quatenus sit semper spiritu feruens, spe gaudens, tuo semper nomini seruiens; Perduc eum, Domine, quæsumus, ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sint, dicatur singulis. N Accipe sal, &c, & præcedens Oratio; Deus Patrum nostrorum, in numero plurali.

Quod si Catechumenus fuerit Gentilis, seu ex Idololatris venerit ad fidem; benedicto sale, priusquàm eius medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem, dicens:

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es, qui eras, & qui permanes vsq; in finem, cuius origo nescitur, nec finis comprehendi potest: te supplices inuocamus, super hunc famulum tuum N quem liberâsti de errore gentilium, & conuersatione turpissima; dignare exaudire eum, qui tibi ceruices suas humiliat ad lauacri fontem, vt renatus ex aqua & Spiritu sancto, exspoliatus veterem hominem, induat nouum, qui secundum te creatus est: accipiat vestem incorruptam, & immaculatam, tibiq; Deo nostro seruire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali. Deinde Sacerdos dicat super masculum tantùm: Ora electe, flecte genua, & dic Pater noster. Et electus genuflexo orat, & dic. Pater noster.

Et cùm orauerit, & dixerit Pater noster, vsque ad Sed libera nos à

incluſiuè; Sacerdos ſubiungit: Leua, comple orationem tuã, & dic Amẽ. Et ille reſpondet: Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eum. Deinde electo: Accede. Et Patrinus pollice ſignat eum in fronte dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Tum quoq; Sacerdos facit crucem in fronte eius, ita dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et imponit manum ſuper eum, & dicit:

Oremus.

DEvs Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus, qui Moyſi famulo tuo, in monte Sinai apparuiſti, & filios Iſrael de terra Ægypti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die, ac nocte: te quæſumus, Domine, vt mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui ſimiliter cuſtodiat, & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus.

ERgo maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem IESV Chriſto filio eius, & Spiritui Sancto: recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter IESVS Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, fontemq; Baptiſmatis vocare dignatus eſt: & hoc ſignum ſanctæ Crucis ✠ quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Sed ſi plures ſint Catechumeni, hic, & in ſequentibus Sacerdos dicat in numero plurali: Orate electi, flectite genua, & dicite Pater noſter. Et electi genuflexi orant, & dicunt Pater noſter.

Et cùm orauerint, & dixerint Pater noſter, vſq; ad Sed libera nos à malo, incluſiuè; Sacerdos ſubiungit: Leuate, complete orationem veſtram, & dicite Amen. Et illi reſpondent: Amen.

Et Sa-

Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eos. Deinde electis: Accedite. Et Patrinus pollice signat eos in fronte, dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tum quoq; Sacerdos facit crucem in fronte eorum, ita dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et imponit manum super eos, ac dicit:

Oremus.

DEvs Abrahã, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israël de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die, ac nocte: te quæsumus, Domine, vt mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui similiter custodiat & hos famulos tuos N. & N. & perducat eos ad gratiam baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Item super vnum secundò dicat: Ora electe, flecte genua, & dic Pater noster. Et electus genuflexo orat, & dicit Pater noster.

Et cùm orauerit, & dixerit Pater noster, vsq; ad Sed libera nos à malo, incluſiuè; Sacerdos subiungit: Leua, comple orationem tuam, & dic Amen. Et ille respondet: Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino Signa eum. Deinde electo: Accede. Et Patrinus pollice signat eum in fronte, dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et imponit manum super eum, & dicit:

Oremus.

DEvs immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credẽtium, resurrectio mortuorum; te inuoco super hunc famulum tuum N. qui Baptismi tui donum petens, æternam consequi gtatiam spirituali regeneratione desiderat: accipe eum Domine, & quia dignatus es dicere; petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: petenti præmium porrige, & ianuam pande pulsanti, vt æternam cælestis lauacri benedictionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Exorcismus.

AVdi maledicte Sathana, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris nostri IESV Christi Filij eius, cum tua victus inuidia tremens, gemensque discede; nihil tibi sit commune cum seruo Dei N. iam cælestia cogitante, renuntiaturo tibi, & sæculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem aduenienti Spiritui sancto, qui ex summa cœli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum, & habitaculum perficiat, vt ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberatus seruus Dei, gratias perenni Deo referat semper, & benedicat nomen sanctum eius in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Item super vnum masculum tertiò dicat: Ora electe, flecte genua, & dic Pater noster, &c. Et electus genuflexus orat, & dicit Pater noster. Et cùm orauerit, & dixerit Pater noster, vsq; ad Sed libera nos à malo, inclusiuè; Sacerdos subiungit: Leua, comple orationem tuam, & dic Amen. Et ille respondet: Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eum. Deinde electo: Accede. Patrinus pollice signat eum in fronte, dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tum quoq; Sacerdos facit crucem in fronte eius, ita dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Deinde imponit manum super eum dicens:

Exorcismus.

EXorciso te immunde Spiritus, In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus sancti, ✠ vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Exorcismus Ergo maledicte diabole, &c. & repetit totũ vt supra habetur. Super fœminã verò Sacerdos dicit: Ora electa, flecte genua, & dic Pater noster. Et electa genuflexa orat, & dicit Pater noster. Et cùm orauerit & dixerit Pater noster, vsque ad Sed libera nos à malo, inclusiuè;

Sacerdos

Sacerdos subiungit: Leua, comple orationem tuam, & dic Amen. Et illa respondet, Amen. Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eam. Deinde electæ. Accede. Et Patrinus pollice signat eam in fronte dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tum quoq; Sacerdos facit Crucem in fronte eius, ita dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Deinde imponit manum super eam, & dicit:

Oremus.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus virginum, Deus omnium bene viuentium, Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: te inuoco Domine, super hanc famulam tuam N. vt eam custodire, & perducere digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicatur Exorcismus. Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, &c. vt supra.

Si plures fuerint fœminæ Catechumenæ, hîc & in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali: Orate electæ, flectite genua, & dicite Pater noster. Et electæ genuflexæ orant, & dicunt Pater noster. Et cùm orauerint, & dixerint Pater noster, vsq; ad Sed libera nos à malo, inclusiuè; Sacerdos subiungit: Leuate, complete orationẽ vestram, & dicite, Amen. Et illæ respondent, Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eas. Deinde electis, Accedite. Et Patrinus pollice signat eas in fronte dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tum quoq; Sacerdos facit Crucem in fronte earum ita dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Deinde imponit manum super capita singulorum, & postea in eodem numero plurali dicit Orationem: Deus cæli, Deus terræ, &c. & Exorcismum: Ergo maledicte diabole, &c. vt supra.

Interim super vnam tantùm secundò & tertiò repetit: Ora electa, flecte genua, & dic Pater noster. Et electa genuflexa orat, & dicit Pater noster. Et cùm orauerit, & dixerit Pater noster, vsq; ad Sed libera nos à malo, inclusi-

inclusiué; Sacerdos subiungit: Leua, comple orationem tuam, & dic, Amen. Et illa respondet: Amen. Et Sacerdos Patrino dicit, Signa eam. Deinde electæ: Accede. Et Patrinus pollice signat eam in fronte dicens, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tum quoq; Sacerdos facit Crucem in fronte eius, ita dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Postea dicit Orationem

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israël de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte: te quæsumus, Domine, vt mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui similiter custodiat & hanc famulam tuam N. & perducat eam ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, imponit manum super caput eius, & post tertiam signationem dicit:

Exorcismus.

EXorcizo te immunde Spiritus, per Patrem, ✠ & Filium, ✠ & Spiritum sanctum, ✠ vt exeas, & recedas ab hac famula Dei N. ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cœco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitauit. Ergo maledicte diabole, &c. vt supra.

Super vtrumq; siue masculum, siue fœminam imponit manum super caput eius, & dicit:

Oremus.

ÆTernam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, & sanctifica, da ei scientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam,

ctam, vt aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures fuerint electi, siue mares, siue fœminæ: præcedentes Orationes, & Exorcismi dicantur in numero plurali, & in genere proprio, vt superiùs dictum est.

His peractis Sacerdos sinistrâ manu apprehendens dexteram electi propè brachium, vel ei porrigens extremam partem stolæ, introducit eum in Ecclesiam dicens:

N. Ingredere in Sanctam Ecclesiam Dei, vt accipias benedictionem cælestem à Domino Iesu Christo, & habeas partem cum illo, & Sanctis eius. ℟. Amen.

Si plures fuerint, dicat in numero plurali: Ingredimini in sanctam Ecclesiam Dei, &c. & introducat eos, vt supra.

Et ingressus electus procumbit, seu prosternit se in pauimento, & adorat. Deinde surgit, & Sacerdos imponit manum super caput eius, & electus cum eo recitat Symbolum Apostolorum, & Orationē Dominicam.

Ita etiam si plures fuerint, omnes surgunt, & simul recitant:

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in Iesvm Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionē peccatorum: Carnis resurrectionē, vitam æternam. Amen

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Tunc rursus Sacerdos imponat manum super caput electi, & dicat:

Exorcismus.

NEc te latet Sathana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem supplicij sempiterni, diem, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi, atq; vniuersis Angelis tuis præparatus sempiternus erit interitus. Proinde damnate, atq; damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo Filio eius, da honorem Spiritui sancto paraclito, in cuius nomine, atq; virtute, præcipio tibi, quicunq; es, Spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq; Baptismatis dono vocare dignatus est, vt fiat eius templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Similiter, si plures fuerint, imponit manum super capita singulorum, & dicit eundem Exorcismum in numero multitudinis, & genere suo.

Postea Sacerdos pollice accipit de saliua oris sui, & tangit aures & nares electi: tangendo verò aurem dextram & sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est adaperire. Deinde tangendo nares dicat: In odorem suauitatis. & subdit:

Tu autē effugare diabole, appropinquabit enim iudiciū Dei.

Deinde interroget electū. Quis vocaris? Et ipse respōdet: N.

Interroget. N. Abrenuntias Sathanæ? ℟. Abrenuntio.

Interroget. Et omnibus operibus eius. ℟. Abrenuntio.

Interroget. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Tunc Sacerdos intingit pollicem dextræ manus in Oleo sancto Catechumenorum, & inungit electum primùm in pectore, deinde inter scapulas in modum Crucis dicens:

Ego te linio oleo salutis, ✠ in Christo Iesu Domino nostro, in vitam

in vitam æternam. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

Mox bombacio, vel re simili tergit pollicem, & loca inuncta. & subiungit dicens: Exi immunde Spiritus, & da honorem Deo viuo, & vero. Fuge immunde spiritus, & da locum Iesu Christo Filio eius. Recede immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto paraclito.

Quando plures sunt electi, idem fit circa singulos eorum. Et ducitur electus ad Baptisterium, vbi si ob aliquam causam non habeatur, siue præparata non fuerit aqua Baptismalis, fiat benedictio fontis, vt infra ponitur, & cùm fuerit propè fontem, Sacerdos interrogat:

Quis vocaris? Respon. N.

Interrog. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Iterum interrogat dicens; Quid petis? ℟. Baptismum.

Interrogat. Vis baptizari? ℟. Volo.

Tunc Patrino, vel Matrinâ, vel vtroq; (si ambo admittuntur) admota manu tenente, seu tangente electum, vel electam, aperto capite, & laxatis à collo vestibus inclinatum, Sacerdos vasculo, vel vrceolo haurit aquam baptismalem de fonte, & cum ea sub trina supra caput in modum Crucis infusione, baptizet electum, seu electam, in nomine Sanctæ Trinitatis, sic dicens:

Ego te baptizo in nomine Patris ✠ fundat primò, & Filij ✠ fundat secundò, & Spiritus sancti ✠ fundat tertiò.

Si aqua, quæ ex capite baptizati defluit, non dilabitur in lacrarium Baptisterij, recipiatur in subiecta aliqua pelui, & in illud postmodum projiciatur. Cùm plures sunt electi, singillatim singuli interrogantur, & baptizantur, vt suprà. Si sunt mares, & fœminæ, primùm mares, deinde fœminæ.

minæ. Verùm si probabiliter dubitetur, an electus fuerit aliàs baptizatus, dicat Sacerdos: Si non es baptizatus, ego te baptizo; In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ Sancti.

Deinde Sacerdos intingat pollicem dextrum in Sacrum Chrisma, & perungat verticem electi in modum crucis, dicens:

DEvs omnipotens, Pater Domini nostri IESV Christi, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu sancto; quiq; dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo IESV Domino nostro in vitam æternã. Amen.

℣. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc bombacio, vel re simili pollicem tergit, & imponit capiti Electi chrismale, seu candidum linteolum, & dat illi vestem candidam, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitã æternã. ℟. Amẽ.

Et electus deponit priores vestes, & induitur nouis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quàm à Sacerdote accipit. Postea dat ei Sacerdos cereum, seu candelam accensam in manu dextra, dicens:

Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum, serua Dei mandata, vt cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula cælesti, in vitã æternã. ℟. Amẽ.

Ipse verò Neophytus eundem cereum accensum manibus teneat vsq in finem, præterquam dum confirmatur. In Ecclesijs autem, vbi Baptismus fit per mersionem, siue totius corporis, siue capitis tantum, Sacerdos accipiat electum per brachia prope humeros, & superiore parte corporis nudatum, reliqua honestè contectum, ter illum, vel caput eius mergendo, & toties eleuando, baptizet sub trina mersione, Sanctam Trinitatem semel tantum sic inuocando:

Ego te baptizo, In nomine Patris ✠ mergat semel, & Filij ✠ mergat iterum, & Spiritus sancti ✠ mergat tertiò. Patrino, ve Matrina, vel vtroq; eum tenente, vel tangente.

Et cùm Electus surrexerit de fonte, Patrinus vel Matrina cum linteo in ma-

in manibus suscipit eum de manu Sacerdotis, & Sacerdos intincto pollice dextro in Sacro Chrismate, illum in vertice in modum Crucis perungit, dicens: **Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, &c.** vt suprà. Deinde Sacerdos imponit capiti eius linteolum, seu Chrismale, & dat ei vestem candidam, dicens: **Accipe vestem candidam, &c.** vt suprà.

Et statim prædicto linteo abstergitur, & in loco semoto vestitus nouis & albis vestibus, & exteriore candida, quam accepit.

Postea dat ei Sacerdos candelam accensam in dextra manu, dicens: **Accipe lampadem, &c.** vt suprà. Eodem modo si plures fuerint, fit super singulis

Postea dicat N **Vade in pace, & Dominus sit tecũ.** ℟. **Amen.**

Si adsit Episcopus, qui id legitimè præstare possit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur: deinde si hora congruens fuerit, celebratur Missa, cui Neophyti intersunt, & Sanctissimam Eucharistiam deuotè suscipiunt.

Si verò ob baptizandorum multitudinem (vt in India, & nouo Orbe quandoq; contingit) in singulorum Baptismo præscripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel si vrget necessitas, omittantur.

Ordo supplendi omissa super baptizatum.

CVm vrgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, siue paruulus, siue adultus, sacris precibus ac cæremonijs prætermissis, fuerit baptizatus, vbi conualuerit, vel cessauerit periculum, & ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur: idemq; ordo ac ritus seruetur, qui in Baptismo paruulorum (si fuerit paruulus) seu adultorum (si fuerit adultus) præscriptus est. Excepto quòd interrogatio, an velit baptizari, formaque baptismi & ablutio prætermittuntur, & quædam orationes, & Exorcismi suo quiq; loco immutati, vt infrà, dicuntur.

Sacerdos igitur antequam immittat salem in os baptizati, manum super caput eius imponens, dicit:

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem

du dum ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cœcitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos sathanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suauem odorem præceptorum tuorum, lætus tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus sit frui gratia baptismi tui, quem suscepit, salis perceptâ medicinâ. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde posteaquam modicum salis immisit in os baptizati, dicens:

Accipe salem sapientiæ, propitiatio sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

Oremus.

DEus Patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis te supplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, vt hoc pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominùs cibo expleatur cœlesti; quatenus sit semper spiritu feruens, spe gaudens, tuo semper nomini seruiens, & quem ad nouæ regenerationis lauacrum perduxisti, quęsumus Domine, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc, facto signo Crucis in fronte baptizati, dictisq; illis verbis: Et hoc signum Crucis ✠ quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. manu super caput eius imposita, dicit: Oremus.

ÆTernam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & sanctifica; da ei scientiam veram, vt dignus sit frui gratia baptismi tui, quem suscepit, te-

pit, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, vt aptus sit ad retinendam gratiam baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In Baptismo autem adultorum, præter illa, quæ suprà notata sunt, quando supplentur omissa, hæc mutari debent: primùm in Exorcismo: Audi maledicte sathana, vbi dicitu (habitaculum perficiat) habitaculum perfecit. Deinde in Exorcismo: Nec te latet; vbi dicitur, vt fiat; dicatur, vt fieret.

RITVS SERVANDVS cùm Episcopus Baptizat.

SI Episcopus, vel S. R. E. Cardinalis, paruulos vel adultos baptizare voluerit: parantur, & seruantur omnia, vt superiùs de ordine Baptismi dictum est, atq; hæc præterea quæ infra notantur.

Adsint Capellani, vel alij Presbyteri, & Clerici superpelliceis induti, qui ei assistant, ac ministrent.

Ipse verò super rochetum, siue superpelliceum, si est regularis, accipiat albam, & cingulum, & stolam, & pluuiale violacei coloris, ac mitram: atq; ita paratus cum ministris procedat ad baptismi ministerium. Et dum interrogat N. Quid petis ab Ecclesia Dei? ac dum facit reliquas interrogationes, sedet cum mitra; cùm verò exsufflat dicendo: Exi ab eo immũde spiritus; surgit cum mitra. Rursus sedet, cùm signat Catechumenum signo Crucis in fronte, & in pectore; vel dicit: Accipe signum Crucis, &c. & cùm dicit Orationes, quæ præcedunt, vel sequuntur benedictionem salis, surgit depositâ mitrâ, similiter cùm ipsum salem benedicit. Cùm autem salem benedictum immittit in os baptizandi, mitram accipit, & sedet. Cùm verò legit Exorcismos, & dum saliua aures, & nares Catechumeni tangens, dicit Ephpheta. ac dum introducit eum in Ecclesiam, stat cum mitra: cùm autem dicit: Credo in Deum Patrem, &c. & Pater noster, super Catechumenum, stat sine mitra. Sed cùm nomen quærit, & interrogat, N. Abrenuntias Sathanæ, &c. & baptizandum Oleo sacro in pectore, & inter scapulas inungit, sedet cum mitra: quo facto accipit stolam, & pluuiale album. Et cùm rursus interrogat de fide: Credis in Deum, &c.

um, &c. Vis baptizari, &c. & cùm baptizat per infusionem, sedet cum mitra. Si verò baptizat per immersionem, mitram retinens stare debet Cùm demum Chrismate verticem baptizati linit, & dat ei vestem candidam, & candelam accensam, ac dicit: Vade in pace, &c.

Si autem Pontifex quempiam à Presbytero iam catechizatum tantùm baptizare voluerit, sic paratus vestibus albis incipiat, postquam ad Baptisterium deuentum fuerit, dicens: Quo nomine vocaris? Respondet: N. Episcopus interrogat: N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, &c. & prosequitur vsq; in finem, iuxta ordinem Baptismi; vt suprà.

Benedictio fontis Baptismi extra Sabbatum Paschæ, & Pentecostes, cùm aqua consecrata non habetur.

PRimùm lauatur & mundatur vas Baptisterij, deinde limpidâ aquâ repletur. Tum Sacerdos cum suis Clericis, vel etiam alijs Presbyteris, cruce & duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo, & incenso, & cum vasculis Chrismatis, & Olei Catechumenorum descendit ad fontem, & ibi vel ante altare baptisterij, dicit Litaniam Ordinariam, prout habetur infra post Septem Psalmos Pœnitentiales.

Et ante vers: Vt nos exaudire digneris. dicat, & secundò repetat sequentem versum: Vt fontem istum ad regenerandam tibi nouam prolem, benedicere ✠ & consecrare ✠ digneris. Te rogamus audi nos.

Potest etiam dici Litania breuior,

& dicto vltimo Kyrie eleison Sacerdos dicat Pater noster, Credo in Deum, & omnia clara voce: quibus finitis dicat ℣. Apud te Domine est fons vitæ. ℟. Et in lumine tuo videbimus lumen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysterijs, adesto Sacramentis, & ad recreandos nouos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte; vt quod

quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ, per Deum viuum ✠ per Deum verum ✠ per Deum Sanctum ✠ per Deum, qui te in principio, verbo separauit ab arida, cuius super te spiritus ferebatur; qui te de paradiso manare iussit.

Hic manu aquam diuidat, & deinde de ea effundat, extra marginem fontis versus quatuor Orbis partes, prosequens.

Et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit, qui te in deserto amaram per lignum dulcem fecit, atq; potabilem: qui te de petra produxit, vt populum, quem ex Ægypto liberauerat, siti fatigatum recrearet Exorcizo te & per Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum; qui te in Cana Galileæ signo admirabili suâ potentiâ conuertit in vinum: qui super te pedibus ambulauit, & à Ioanne in Iordane in te baptizatus est: qui te vnà cum sanguine de latere tuo produxit, & discipulis suis iussit, vt credentes baptizarent in te, dicens: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; vt efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, aqua, quæ lauat sordes, & mundat peccata. Tibi igitur præcipio omnis spiritus immunde, omne phantasma, omne mendacium, eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, vt qui in ipsa baptizandi erunt, fiat eis fons aquæ salientis in vitam æternam, regenerans eos Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculū per ignē. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, aquarum spiritualium sanctificator, te suppliciter deprecamur, vt ad hoc ministerium humilitatis nostræ respicere digneris, & super has aquas abluendis, & purificandis hominibus præparatas, Angelum sanctitatis emittas, quo peccatis vitæ prioris ablutis: reatuq; detersо, purum Sancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc sufflet ter in aquam versus tres partes, secundum hanc figuram ☩ deinde imponit incensum in thuribulo, & fontem incensat. Postea infundens de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis clara voce dicit:

Sanctificetur, & fœcundetur fons iste, Oleo salutis renascentibus ex eo in vitam æternam. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen.

Deinde infundit de Chrismate modo quo suprà dicens: Infusio Chrismatis Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti paracliti fiat in nomine Sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Postea accipit ambas ampullas dicti Olei sancti, & Chrismatis, & de vtroq; simul in modum Crucis infundendo, dicit:

Commixtio Chrismatis sanctificationis, & Olei vnctionis, & aquæ baptismatis pariter fiat. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen.

Tum deposita ampulla dextera manu Oleum sanctum & Chrisma infusum miscet cum aqua, & spargit per totum fontem. Deinde medulla panis manum tergit, & si quis baptizandus est, eum baptizat, vt supra. Quodsi neminem baptizat; statim manus abluat, & ablutio effundatur in Sacrarium.

LE SA-

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Anctum Pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos, à Christo Domino institutum; eò diligentiùs administrandum est, quo frequentior est eius vsus, & quo plura requiruntur ad illud rectè dignèq; tractandum, ac suscipiendum. Cùm autem ad illud constituendum tria concurrant, materia, forma, & minister; illius quidem remota materia sunt peccata; proxima verò sunt actus pœnitentis; nempè contritio, confessio & satisfactio. Forma autem illa absolutionis verba: Ego te absoluo, &c. *Minister deniq; est Sacerdos habens potestatem absoluendi, vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusq; desit Confessarius; quilibet Sacerdos potest à quibuscunq; Censuris, & peccatis absoluere. In eius ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atq; prudentia, cum sigillo secretæ confessionis sub exacto perpetuoq; silentio. Quibus & alijs ad id opportunus vt optimè sint instructi, omni studio curare debent Confessarij.*

Inprimis meminerit Confessarius, se iudicis, pariter & medici personam sustinere, ac diuinæ iustitiæ simul & misericordiæ ministrum à Deo constitutum esse, vt tanquam arbiter inter Deum & homines, honori Diuino, & animarum saluti consulat.

Vt ergo rectè iudicare queat, discernens inter lepram & lepram, & tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuiq; remedia applicare sciat; quantam potest maximam ad id scientiam, atq; prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis authoribus, præsertim è Catechismo Romano, & prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.

Sciat casus & censuras Sedi Apostolicæ, & Ordinario suo reseruatas, & suæ cuiusq; Ecclesiæ constitutiones; easq; diligenter obseruet.

Deniq; huius Sacramenti doctrinam omnem rectè nosse studebit, & alia ad eius rectam administrationem necessaria. Atq; in hoc ministerio ita procedat, vt infra præscribitur.

Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

SAcerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum, facilemq; se præbeat; ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium rectè, sanctèq; obeundum, Diuinum auxilium pijs precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in priuatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cùm inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia Sedem confessionalem, in qua sacras Confessiones excipiat: quæ sede patenti, conspicuo, & apto Ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem & Sacerdotem, sit instructa.

Superpelliceo, & stola violacei coloris vtatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

Pœnitens si opus fuerit, admoneatur, vt qua decet humilitate mentis, & habitus accedat, flexis genibus signo Crucis se muniat.

Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) & quàm pridem sit confessus, & an impositam pœnitentiam adimpleuerit, num ritè atq; integrè aliàs confessus fuerit, num conscientiam suam, vt debet, priùs diligenter discusserit.

Quod si pœnitens aliqua censura, vel casu reseruato sit ligatus, à quo ipse non possit absoluere, non absoluat, nisi priùs obtenta facultate à Superiore.

Si verò Confessarius, pro personarum qualitate, cognouerit pœnitentem ignorare Christianæ fidei rudimenta; si tempus suppetat, eum breuiter instruat de articulo fidei, & alijs ad salutem cognitu necessarijs, & ignorantiam eius corripiat, illumq; admoneat, vt ea postmodum diligentiùs addiscat.

Tum pœnitens Confessionem generalem, Latina, vel vulgari lingua dicat; scilicet, Confiteor, &c. vel saltem vtatur his verbis: Confiteor Deo omnipotenti, & tibi Pater, &c. Peccata sua exinde confiteatur, adiuuante quotiescunq; opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, vt dicetur, confessione; neq; interpellabit, nisi opus fuerit aliquid meliùs intelligere: proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter suggerat, vt omnia peccata sua ritè & integrè confiteatur, remota stulta illa quorundam verecundia, qua præpediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.

Si pœnitens numerum & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caueat, ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quenquam detineat, pra-

at, præsertim iuniores vtriusq; sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeq; peccare discant.

Demum audita Confessione, perprudens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum grauitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem, efficacibus verbis adducere conabitur, atq; ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, remediaq; peccatorum tradet.

Postremò salutarem & conuenientem satisfactionem, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, iniungat, habita ratione status, conditionis, sexus, & ætatis, & item dispositionis pœnitentium. Videatq; ne pro peccatis grauibus leuissimas pœnitentias imponat, ne si fortè peccatis commueat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id verò ante oculos habeat, vt satisfactio non sit tantùm ad nouæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem.

Quare curet, quantum fieri potest, vt contrarias peccatis pœnitentias iniungat: veluti auaris eleemosynas, libidinosis ieiunia, vel aliàs carnis afflictiones; superbis humilitatis officia, desidiosis deuotionis studia. Rariùs autem vel seriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, vtilissimum fuerit consulere, vt sæpè, puta semel in mense, vel certis diebus solennibus confiteantur, & si expediat, communicent.

Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarij non applicent: neq; à pœnitentibus quicquam tanquam ministerij sui præmium petant, vel accipiant.

Pro peccatis occultis, quantumuis grauibus, manifestam pœnitentiam non imponant.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio: ne absoluat eos, qui talis beneficij sunt incapaces; quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere: aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt: aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant, neq; etiam eos absoluat, quorum peccata sunt superioribus reseruata.

Si verò quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absoluendus est ab omnibus peccatis, & censuris quantumuis reseruatis (cessat enim tunc omnis reseruatio) sed priùs si potest, cui debet satisfaciat; ac si periculum euaserit, & aliqua ra

liqua ratione superiori, à quo aliâs esset absoluendus, se sistere teneatur, cùm primùm poterit, coram eo se sistat, quicquid debet præstiturus.

Quodsi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere: quibus vtcumq; vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.

Meminerit porrò Sacerdos, ægris non esse iniungendam grauem, aut laboriosam pœnitentiam, sed indicendum tantùm illam, quam, si conualuerint, opportuno tempore peragant. Interim iuxta grauitatem morbi, aliqua oratione, aut leui satisfactione impositâ, & acceptatâ, absoluantur, prout opus fuerit.

Absolutionis forma.

Cùm igitur pœnitentem absoluere voluerit, iniuncta ei priùs, & ab eo acceptata salutari pœnitentia, primò dicit:

MIsereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen. Deinde dextera versus pœnitentem eleuata, dicit:

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. deinde: Ego te absoluo à peccatis tuis; In nomine Patris ✠ & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Si pœnitẽs sit laicus, omittitur verbum, suspẽsionis.

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

In confessionibus autem frequentioribus, & breuioribus, omitti potest, Misereatur, &c. satis erit dicere: Dominus noster Iesus Christus, &c. vt suprà; vsq; ad illud: Passio Domini, &c.

Vrgente verò aliqua graui necessitate in periculo mortis, breuiter dicere po-

cere poterit: Ego te absoluo ab omnibus censuris & peccatis; In nomine Patris, &c.

De absolutione ab excommunicatione in foro exteriori.

SI potestas absoluendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit à Superiore, & in mandato certa forma sit præscripta, illa omnino seruanda est; si verò in mandato seu commissione dicitur, in forma Ecclesiæ consueta absoluat. Hæc seruanda sunt:

Primò, vt excommunicatus ei, ob cuius offensam in excommunicationem incurrit, priùs, si potest, satisfaciat: quod si tunc non possit, sufficientem cautionem præbeat; aut saltem si eam præstare non potest, iuret se, cùm primùm poterit, satisfacturum.

Secundò, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit graue, iuramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali causa: ac præcipuè, ne deinceps delinquat contra illum Canonem, vel decretum, contra quod faciendo, censuram incurrit.

Denique hunc absoluendi ritum obseruabit.

Pœnitentem coram se vtroq; genu flexo, in humero, si vir fuerit, vsque ad camisiam exclusiuè denudato, virga aut funiculis sedens leuiter percutit, dicendo totum Psal: Miserere mei Deus, &c. cũ Gloria Patri, &c.

Deinde surgit, & aperto capite dicit: KYrie eleison. CHriste eleison. KYrie eleison. PAter noster, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluum fac seruum tum, vel ancillam tuam Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo, vel in ea. ℟. Et filius iniquitatis non nocebit ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. OremUS.

DEvs, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum, quem excõmunicationis sententia constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absol-

ter absoluat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox sedet, & cooperto capite dicit:

DOminus noster Iesvs Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ N. Rñdmi Episcopi N. vel talis superioris mihi commissa, absoluo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi, vel incurrisse declaratus es propter tale factum, vel causam, &c. & restituo te communioni, & vnitati fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ: In nomine Patris ✠ & Filij, & Spiritus sancti.

Quod si Sacerdoti nulla sit à Superiore præscripta forma, nec sibi mãdatum, vt in forma Ecclesiæ communi, vel consueta absoluat; tunc nihilominus pro rei grauitate prædictam cæremoniam, & preces adhibeat: at verò si res non fuerit adeò grauis, absoluere poterit, dicens:

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ (si à Papa fuerit delegatus) vel Reuerendiss: Episcopi N. vel talis Superioris, mihi concessa, absoluo te, &c. vt supra.

In foro autem interiori, Confessarius habens facultatem absoluendi excommunicatum, absoluat iuxta formam communem supra præscriptam in absolutione Sacramentali.

Ritus absoluendi excommunicatum iam mortuum.

SI quis excommunicatus ex hac vita decedens, dederit signum contritionis: ne Ecclesiastica careat sepultura, sed Ecclesiæ suffragijs, quatenus fieri potest, adiuuetur, absolui potest hoc modo.

Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur & absoluatur, vt infra, deinde absolutum in loco sacro sepeliatur.

Si verò fuerit sepultum in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem, in loco sacro sepelietur; sed si commodè exhumari non potest, locus sepulturæ verberetur, postea absoluatur.

Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepul-

sepulchrum. Dum autem corpus, siue sepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiph: Exultabunt Domino ossa humiliata. Psal. Miserere mei, &c.

Quo facto absoluatur dicendo: Authoritate mihi concessa; ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi, vel incurrisse declaratus es, propter tale factum, & restituo te cõmunioni fidelium; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Deinde dicatur Psal: De profundis. in fine, Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DA, quæsumus Domine, animæ famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De modo absoluendi à Suspẽsione, vel ab Interdicto, extra vel intra Sacramentalem confessionem.

SI Sacerdoti sit commissa facultas absoluendi aliquem à suspensione, vel interdicto, quamuis nulla verba sint præcipuè determinata, vti poterit hac formulâ:

Pœnitens dicat: Confiteor, &c. Sacerdos. Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.

Authoritate mihi ab N. traditâ, Ego absoluo te à vinculo suspensionis, vel Interdicti, quam vel quod, propter tale factum, vel causam incurristi, vel incurrisse declaratus es; In nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Si verò Confessario, siue in foro conscientiæ, siue extra, data est potestas dispensandi super irregularitate: tunc postquam absoluerit à peccatis, addat consequenter:

Et eadem authoritate, dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, si sunt plures, in quam, vel in quas ob talem, vel tales causas, eas exprimendo, incurristi, & habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum, & officiorum tuorum; In nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Si nullum habet Ordinẽ, dicatur: Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos, vel etiam ad alia iuxta tenorem mandati.

Quodsi necesse sit ad titulum beneficij restituere, & fructus malè perceptos condonare, subiungat:

Et restituo tibi titulum, seu titulos, beneficij, seu beneficiorum, & condono tibi fructus malè perceptos: In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Aduertat autem Sacerdos, ne vllo modo in ijs facultatis suæ terminos excedat.

De Sanctissimo

EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Omnibus quidem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis religiosè, sanctèq; tractandis, magna ac diligens cura adhibenda est: sed præcipuè in administrando ac suscipiendo Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius, & admirabilius habet Ecclesia Dei; cùm in eo contineatur præcipuum & maximum Dei donum, & ipsemet omnis gratiæ & sanctitatis fons, auctorq; Christus Dominus.

Parochus igitur summum studium in eo ponat, vt cùm ipse venerabile hoc Sacramentum, quâ decet reuerentiâ, debitoq; cultu tractet, custodiat, & administret,

nistret, tum etiam populus sibi commissus religiosè colat, sanctè, frequenterq; suscipiat, præsertim in maioribus anni solennitatibus.

Ideo populum sæpiùs admonebit; quâ præparatione, & quantâ animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tam Diuinum Sacramentum debeat accedere; vt præmissa Sacramentali confessione, omnes saltem à media nocte ieiuni, & vtroq; genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reuerenter suscipiant, viri quantum fieri potest à mulieribus separati.

Moneantur præterea communicantes, vt sumpto Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut exspuant, neq; de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant: sed quâ par est deuotione aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atq; etiam de sanctissima Passione Dominica, in cuius memoriam hoc mysterium celebratur, & sumitur.

Curare porrò debet, vt perpetuò aliquot particulæ consecratæ, eo numero, qui vsui infirmorum, & aliorum fidelium communioni satis esse possit, conseruentur in pixide ex solida decentiq; materia, eaq; munda, & suo operculo benè clausa, albo velo coopertâ, & quantum res feret ornato, in tabernaculo claue obserato.

Hoc autem tabernaculum conopæo decenter opertum, atq; ab omni alia re vacuum in altari maiori, vel in alio, quod veneration & cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur; sit collocatum: ita vt nullum alijs sacris functionibus, aut Ecclesiasticis officijs impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel saltem vna, diu noctuq; perpetuò colluceat: curabitq; Parochus, vt omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaq; sint, & conseruentur.

Sanctissimæ Eucharistiæ particulas frequenter renouabit. Hostiæ verò seu particulæ consecrandæ sint recentes, & vbi eas consecrauerit, veteres primo distribuat, vel sumat.

Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi sunt, exceptis ijs, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestèq; infames, vt meretrices, concubinarij, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alij eius generis publici peccatores: nisi de eorũ pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint.

Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnouerit, repellat; non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.

Amentibus præterea, seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen,

si quando habeant lucida interualla, & deuotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.

Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius Sacramenti cognitionem, & gustum habent, administrari non debet.

Ordo ministrandi Sacram Communionem.

SAcerdos igitur Sanctissimam Eucharistiam ministraturus; hostijs, seu particulis pro populi multitudine consecratis, vasculoq; vno, vel pluribus, decenti & commodo loco expositis, cum vino & aqua, ad purificationem eorum, qui communionem sumpserint, & antè eos linteo mundo extenso, lotis prius manibus, & superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris officio illius diei conuenientis, præcedente Clerico, seu alio ministro, procedit ad altare manibus iunctis, & accensis cereis: facta priùs, & postea genuflexione, extrahit pixidem, & illam super corporale depositam, discooperit. Minister genibus flexis, nomine populi ad cornu Epistolæ facit confessionem generalem, dicens: Confiteor Deo, &c.

Tũ Sacerdos iterũ genuflectit, & manibus iũctis ante pectus vertit se ad populũ (aduertens ne terga vertat Sacramento) & in cornu Euangelij dicit: Misereatur vestri, &c. & addit: Indulgentiam, absolutionem, ✠ & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen. dicens: Indulgentiam, &c. manu dextra in formam Crucis signat communicandos.

Deinde ad Altare se conuertit, genuflectit, manu sinistrâ pixidem prehendit, & duobus digitis, pollice & indice Sacramentum accipit, & eleuat, conuersusq; ad populum in medio altari, dicit clara voce:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. mox subdit: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. quod iterum ac tertio repetit: quâ formulâ etiam vtendum est, cùm fœminæ communio ministratur.

Postea ad communicandum accedit, incipiens ab ijs, qui sunt ad partem Epistolæ: sed primò si Sacerdotibus, vel alijs ex Clero danda sit Communio, ijs ad gradus altaris, genuflexis præbeatur: vel si commodè fieri potest, intra sepimentum altaris sint à laicis distincti. Sacerdotes verò cum stola communicent.

Sacerdos

Sacerdos vnicuique porrigens Sacramentum, & faciens cum eo signum Crucis super pixidem, simul dicit:

Corpus Domini nostri IESV Christi, custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Vbi verò omnes communicauerint, Sacerdos reuersus ad altare, dicere poterit:

O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis. Minister respondet: Omne delectamentum in se habentem. Tempore Paschali additur Alleluia. Mox Sacerdos dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEVS, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas, &c.

Tempore Paschali dicitur Oratio.

SPiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, vt quos Sacramentis Paschalibus satiâsti, tuâ facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Antequam reponat Sacramentum, diligenter aduertat, vt si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in pixidem deponat; & eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, & abstergat purificatorio; ablutionem verò sumat, si celebrauerit, aut ijs qui tunc communicârunt, sumendam tradat, aut saltem in sacrarium inijciat. Postea genu flectens reponit Sacramentum in tabernaculo, & claue obserat. Deinde extentâ manu dextrâ benedicit ijs, qui communicârunt, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠ & Filij, & Spiritus sancti, descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

Communio autem populi intra Missam, statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoq; ex rationabili causa post Missam sit facienda) cùm Orationes, quæ in Missa post communionem dicuntur, non solùm ad Sacerdotẽ, sed etiã ad alios cõmunicantes spectẽt.

Itaq; Sacerdos sumpto Sacratissimo Sanguine, antequam se purificet, ponat particulas consecratas in pixide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi in principio positæ fuerint in pixide, & genu flectit, ministro interim faciente confessionem, vt suprà. Postea vertens se ad populum in cornu Euangelij dicit: Misereatur vestri, &c. & eo, quo suprà dictum est modo, porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens à ministris altaris, si velint communicare. Finitâ communione, reuertitur ad altare nihil dicens, & non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missæ. Deinde dicit secretò: Quod ore sumpsimus, &c. vt in Missali: se purificat, & Missam absoluit. Quod si contingat, absoluta Missa, statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc planeta indutus, sacram communionem eo modo, quo suprà dictum est, ministrabit.

De Communione Paschali.

CVret autem Parochus, vt in Quadragesima, per se, vel per alios Concionatores, populo opportunè denuntietur Constitutio Concilij Lateranen: sub Innocentio III. quæ sic habet.

Omnis vtriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam, propris viribus studeat adimplere; suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.

Vt igitur hoc salutare Concilij Decretum inuiolabiliter seruetur, descripta Parochus habeat nomina suorum Parochianorum; & qui dicto

tempore

tempore non communicauerint, & post octauam Paschæ eos, qui propriæ salutis immemores sæpiùs admoniti non obtemperauerint, Ordinario suo denunciet.

Dabit quoq; operam Parochus, quoad eius fieri potest, vt in ipso die sanctissimo Paschæ communicent: quo die ipse per se, nisi legitimè impediatur, Parochiæ suæ fidelibus hoc Sacramentum ministrabit. Alienæ verò Parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos & aduenas, & qui certum domicilium non habent: quibus ipse sacram præbebit Communionem, si ad illum accesserint ritè parati, & vbi est ea consuetudo, eos ad Cathedralis Ecclesiæ Parochos remittet. In cæteris verò seruabit ea, quæ in libro de statu animarum, vt infra, præscribuntur.

Ægrotis quoq; Parochialibus, etiamsi Communionem extra præscriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferret, ac ministrabit.

De communione infirmorum.

Viaticum Sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, summo studio ac diligentiâ ægrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne fortè contingat illos tanto bono, Parochi incuriâ, priuatos decedere. Cauendum autem inprimis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur: quales sunt publici vsurarij, concubinarij, notoriè criminosi, nominatim excommunicati, aut denunciati; nisi sese priùs sacrâ Confessione purgauerint, & publicæ offensioni, prout de iure, satisfecerint.

Hortetur Parochus infirmum, vt sacram Communionem sumat, etiamsi grauiter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maximè si festi alicuius celebritas id suadeat, neq; ipse illã ministrare recusabit.

Pro Viatico autem ministrabit, cùm probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si æger sumpto Viatico dies aliquot vixerit, vel periculum mortis euaserit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit.

Potest quidem Viaticum breui morituris, dari non ieiunis; id tamen diligenter curandum est, ne ijs tribuatur, à quibus ob phrenesim, siue ob assiduam tussim, aliumuè similem morbum, aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest. Cæteris autem infirmis, qui ob deuotionem in ægritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum & potum, non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid sumere licet.

Sed

Sed alicui ad adorandum solùm, sed deuotionis, seu cuiusuis rei præextu, ad ostendendum non deferatur.

Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum, ab Ecclesiâ ad priuatas ægrotantium domos, decenti habitu, superposito mundo velamine, manifestè, atq; honorificè, ante pectus cum omni reuerentia, & timore, semper lumine præcedente.

Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum, aliquot campanæ ictibus iubeat conuocari Parochianos, seu Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti (vbi fuerit instituta) seu alios pios Christifideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis, seu intortitijs comitentur, & vmbellam, seu baldachinum, vbi haberi potest, deferant.

Præmoneat, vt ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in quo Sanctissimũ Sacramẽtũ decenter deponatur.

Parentur luminaria, ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua; præterea lintcum mundum ante pectus communicandi ponatur, atq; alia ad ornatum loci, pro cuiusq; facultate.

Vbi verò conuenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceo, & stolâ, & si haberi potest, pluuiali albi coloris, Acolytis, seu Clericis, aut etiam Presbyteris, (si locus feret) superpelliceo pariter indutis, comitatus, decenter, & de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel vnam tantùm (si longius aut difficilius iter sit faciendũ) ponat in pixide, seu parua custodia, quam proprio suo operculo cooperit, & velum sericum superimponit; ipse verò Sacerdos impositò sibi priùs ab vtroq; humero oblongo velo decenti, vtraq; manu accipiat vas cum Sacramento, & deinde vmbellam, seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.

Præcedat semper Acolythus, vel alius minister deferens lanternam, noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, (nisi necessitas vrgeat) sequantur duo Clerici, vel qui illorum vices suppleant; quorum alter aquã benedictam cum aspersorio, & bursam cum Corporali, quod supponẽdum erit vasculo Sanctissimi Sacramenti super mensam in cubiculo infirmi, & cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos; alter hunc librum Ritualem deferat, & campanulam iugiter pulset. Succedant deinde deferentes intortitia. Postremo Sacerdos Sacramentum gestans eleuatum ante pectus sub vmbella, dicens Psalmum **Miserere**, & alios Psalmos, & Can-

& Cantica. Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, & fortasse etiam equitandum, necesse erit vas in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, & ad collum appensa, aptè includere, & ita ad pectus alligare, atq; obstringere, vt neq; decidere, neq; è pixide excuti Sacramentum queat.

Ingrediens verò locum, vbi iacet infirmus, dicat: Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Tum depositum Sacramentum, super mensa suppositò corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus; & mox acceptâ aquâ benedictâ, aspergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam:

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. & primum versum Psalmi, Miserere mei Deus. cum Gloria Patri. Sicut erat in principio, &c.

Deinde repetitur Antiphona, Asperges me Domine, &c.

Postea ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, vt cognoscat, num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum, & vtrum velit aliqua peccata confiteri, & illum audiat, atq; absoluat; quamuis priùs deberet esse ritè confessus, nisi necessitas aliter vrgeat. Postea facta de more confessione generali, siue ab infirmo, siue eius nomine ab alio, Sacerdos dicit: Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.

Deinde factâ genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud eleuans ostendit infirmo dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; & more solito ter dicat: Domine non sum dignus,

gnus, vt intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce: tũ Sacerdos dans infirmo Eucharistiã, dicat: Accipe frater, vel soror, Viaticum Corporis Domini nostri IESV Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.

Si verò communio non detur per modum Viatici, dicat more ordinario: Corpus Domini nostri Iesu Christi, &c.

Quod si mors immineat, & periculũm sit in mora, tunc dicto Misereatur, &c. prædictis precibus omnibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum præbeatur. Postea Sacerdos abluat digitos nihil dicens, & infirmo detur ablutio. Deinde dicat:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, fideliter deprecamur, vt accipienti fratri nostro, vel sorori nostræ, Sacrosanctum Corpus Domini nostri Iesu Christi Filij tui, tam corpori, quàm animæ, prosit ad remedium sempiternum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet, præterquam in casu iam dicto) genu flectit, surgit, & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum Crucis super infirmum, nihil dicens; & reuerenter illud deferens, ordine quo venerat, reuertitur ad Ecclesiam, dicendo Psalmum, Laudate Dominum de cœlis. & alios Psalmos, & Hymnos, prout tempus feret. Cùm peruenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare, adorat; deinde dicit:

℣. Panem de cœlo præstitisti eis. ℟. Omne delectamentũ in se habentem. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam re-

riam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas, &c. ℟. Amen.

Deinde annunciat Indulgentias, à Summis Pontificibus concessas, Sanctissimum Sacramentum comitantibus.

Postea cum Sacramento, in pixide velo cooperta, faciat signum Crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

Quod si ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet, veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commodè reportari non potest; sumpta fuerit vna tantum particula consecrata; vt dictum est; tunc eâ infirmo administratâ, Sacerdos prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, & vnà cum alijs, priuato habitu, extinctis luminibus, vmbellâ demissâ, latente pixide, ad Ecclesiam, vel domum quisq; suam, reuertatur.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

EXtremæ Vnctionis Sacramentum à Christo Domino institutum, tanquam cœlestis medicina, non animæ solùm, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentiâ periculosè ægrotantibus adhibendum est; & eo quidem tempore, si fieri possit, cùm illis adhuc integra mens, & ratio viget: vt ad vberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

In quo illud inprimis ex generali Ecclesiæ consuetudine obseruandum est, vt si tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam vnctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, infirmis præbeantur.

Habeat igitur Parochus loco nitido, & decenter ornato, in vase argenteo, seu stanneo, diligenter custoditum Sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis Feria V. in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renouandum est. Id tamen, si fortè intra annum aliquo modo ita deficiat, vt sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico Oles non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest.

Oleum porrò ipsum, vel per se solum, vel in bombacio, seu re simili, seruari potest; sed ad euitandum effusionis periculum, multò commodiùs ad infirmos defertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cùm ad vsum rationis peruenerint, tàm grauiter laborãt, vt mortis periculũ imminere videatur: & ijs qui præsenio deficiunt, & in diẽ videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui dum sanâ mente, & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petijssent, seu dederint signa contritionis: etiamsi deinde loquelam amiserint, aut amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.

Sed si infirmus, dum phreneſi, aut amentiâ laborat, verisimiliter posset quicquam facere contra reuerentiam Sacramenti: non inungatur, nisi periculum tollatur omninò.

Impœnitentibus verò, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis, penitus denegetur.

Non ministretur etiam prælium imturis; aut nauigationẽ, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris; aut reis vltimo supplicio mox afficiendis; aut pueris rationis vsum non habentibus.

Si quis autem laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat antequam finiantur vnctiones; citò vngatur, incipiendo ab eo loco: Per istam sanctam vnctionem, &c. *vt infrà: deinde si adhuc superuiuat; dicantur Orationes prætermissæ, suo loco positæ.*

Si verò dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter vltra non procedat, & prædictas Orationes omittat.

Quod si dubitet, an viuat adhuc, vnctionem prosequatur sub conditione pronunciando formam, dicens: Si viuis, per istam sanctam vnctionem, &c. *vt infrà.*

Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum confessionem ad exitum vita properare, tunc cum Sacro Viatico poterit, & Oleum infirmorum ad eum deferri per ipsum Sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam: si tamen alius Presbyter vel Diaconus, qui Oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur; qui superpelliceo indutus, cum Oleo sacro occultè delato, sequatur Sacerdotem Viaticum portantem: & postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur à Sacerdote.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, vt cùm

vt cùm infirmus conualuerit, iterum in periculum mortis incidit.

Quinq; verò corporis partes præcipuè vngi debent, quas velut sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os, & manus: attamen pedes etiam & renes vngendi sunt; sed renum vnctio in mulieribus, honestatis gratiâ, semper omittitur; atq; etiam in viris, quando infirmus commodè moueri non potest. Sed siue in mulieribus, siue in viris, alia corporis pars pro renibus vngi non debet.

Manus verò, quæ reliquis infirmis interius vngi debent, Presbyteris exteriùs vngantur.

Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos vngit, caueat, ne altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam priùs absoluat, quàm ambo huiusmodi paria membra perunxerit.

Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eâdem verborum formâ.

Huius autem Sacramenti forma, quâ Sancta Romana Ecclesia vtitur, solennis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas vnctiones adhibet, cùm ait:

Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, qnicquid per visum, siue per auditũ, &c. deliquisti.

Ordo ministrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis.

SAcerdos igitur hoc Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam, mappâ candidâ coopertam, itemq; vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos, & aquam ad abluendas Sacerdotis manus, ceream item candelam, quæ deinde accensa ipsi vngenti lumen præbeat: Deniq; operam dabit, vt quantâ poterit munditiâ, ac nitore, hoc Sacramentũ ministretur.

Deinde conuocatis Clericis, seu ministris, vel saltem vno Clerico, qui Crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, & librum Rituale deferat: ipse Parochus decenter accipit vas Sacri Olei infirmorum, sacculo serico violacei coloris incluſum, illudq; cautè defert, ne effundi possit. Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel aliâs adsit periculum effusionis, vas Olei sacculo, aut bursa incluſum, vt dictum est, ad collum appendat, vt commodiùs, & securiùs perferat. Procedat autem sine sonitu campanulæ.

Cùm peruentum fuerit ad locum, vbi iacet infirmus, Sacerdos in trans cubiculum, dicit: Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde depósito Oleo ſuper menſam, ſuperpelliceo, ſtolaq; violaceâ indutus, ægroto Crucem piè deoſculandam porrigit: mox in modum crucis eum aqua benedicta, & cubiculum, & circumſtantes aſpergit, dicens Antiphonam: Aſperges me, &c. Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum & abſoluat. Deinde pijs verbis illum conſoletur, & de huius Sacramenti vi, atq; efficacia, ſi tempus ferat, breuiter admoneat, & quantum opus ſit, eius animum confirmet, & in ſpem erigat vitæ æternæ.

Poſtea dicat Verſiculum: Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O remus.

INtroeat Domine Ieſu Chriſte, domum hanc, ſub noſtræ humilitatis ingreſſu, æterna felicitas, diuina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna: effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum: adſint Angeli pacis, domumque hanc deſerat omnis maligna diſcordia. Magnifica, Domine, ſuper nos nomen ſanctum tuum: & benedic ✠ noſtræ conuerſationi: ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORemus, & deprecemur Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, vt benedicendo benedicat ✠ hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, & faciat eos ſibi ſeruire ad conſiderandum mirabilia de lege ſua; auertat ab eis omnes contrarias poteſtates; eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

O remus.

EXaudi nos, Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat

stodiat, foueat, protegat, visitet atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quæ orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum, poterunt omitti. Tum de more facta confessione generali, Latino vel vulgari sermone Sacerdos dicat: Misereatur tui, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c.

Antequam Parochus incipiat vngere infirmum, moneat adstantes, vt pro illo orent, & vbi commodum fuerit, pro loco & tempore, & adstantium numero, vel qualitate, recitent Septem Psalmos Pœnitentiales, cum Litanijs, vel alias Preces, dum ipse Vnctionis Sacramentum administrat; mox dicat:

In nomine Patris, ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, & per inuocationem Omnium Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atq; omnium simul Sanctorum. Amen.

Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis inungit infirmum in partibus his subscriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum:

Ad Oculos.

Per istam sanctam Vnctionem ✠ & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum deliquisti. Amen.

Minister verò si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, postquam libet vnctionem tergat loca inuncta nouo globulo bombacij, vel rei similis, eaq; in vase mundo reponat, & ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresq; proijciat in Sacrarium.

Ad Aures.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad Na-

Ad Nares.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad Os, compressis labijs.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per gustum, & locutionem deliquisti. Amen.

Ad Manus.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per tactum deliquisti. Amen.

Et aduerte, quod Sacerdotibus, vt dictum est, manus non inungun-tur interiùs, sed exteriùs.

Ad Pedes.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per gressum deliquisti. Amen.

Ad Lumbos, siue Renes.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

Hæc autem vnctio ad lumbos, vt dictum est, omittitur semper in fæminis, & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moueri non possunt. Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit:

K yrie eleison. C hriste eleison. K yrie eleison. P ater noster. &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eũ.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Ni-

℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apostolum tuum Iacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei: cura quæsumus, Redemptor noster, gratiâ sancti Spiritus languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, & dimittè peccata, atq; dolores cunctos mentis & corporis ab eo expelle, plenamq; interius & exterius sanitatem misericorditer redde, vt ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

REspice, quæsumus Domine, famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, & animam refoue, quam creâsti; vt castigationibus emendatus, se tuâ sentiat medicinâ saluatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad inuocationem tui nominis benignus assiste, vt famulum tuum ab ægritudine liberatum, & sanitate donatum, dexterâ tuâ erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atq; Ecclesiæ tuæ sanctæ cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad extremum, pro personæ qualitate, salutaria monita breuiter præbere po-

bere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.

Deniq; aquam benedictam, & Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquet; vt illam frequenter aspiciat, & pro sua deuotione osculetur, & amplectatur.

Admoneat etiam domesticos, & ministros infirmi, vt si morbus ingraueſcat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, vt morientem adiuuet, eiusq; animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo ritè commendabit. Quæ autem pertinent ad visitationem, curamq; infirmorum, & adiuuandos morientes, ad commendationem animæ, & ad exequias; infra suis locis præscribuntur.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES,

Cum Litanijs; Pro infirmis, dum Sacro liniuntur Oleo, seu pro alia necessitate, dicuntur flexis genibus.

Antiphona. Ne reminiscaris, &c.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turba-

Turbatus est à furore oculus meus : inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei; conuertantur & erubescant valde velociter.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 31.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarē tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua; conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. (scondi.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abDixi; Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum; ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus, & mulus: quibus non est intellectus.

In chamo & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde. Gloria Patri, &c.

Psalmus 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue, grauatæ sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus sum vsq; in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei & proximi mei: aduersum me appropinquauerunt & steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego

Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.
Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones. (meus.
Quoniam in te Domine speraui: tu exaudies me, Domine Deus
Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt. (semper.
Quoniã ego in flagella paratus sũ: & dolor meus in conspectu meo
Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.
Inimici autem mei viuunt: & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.
Qui retribuant mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.
Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.
Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.
Gloria Patri, & Filio, &c

Psalmus 50.

Miserere mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam.
Et secundùm multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.
Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccaui & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas cùm iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifesta sti mihi.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas (dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas (à me.

Redde mihi lætitiã ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudẽ tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ieruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Gloria Patri, &c.

Pſalmus 101.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacunq; die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunq; die inuocauero te; velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce

A voce gemitus mei : adhæsit os meum carni meæ.
Similis factus sum pellicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui : & factus sum sicut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei : & qui laudabant me, aduersum me iurabant.
Quia cinerem tanquam panem manducabam : & potum meum cum fletu miscebam.
A facie iræ & indignationis tuæ : quia eleuans allisisti me.
Dies mei sicut vmbra declinauerunt : & ego sicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes : & memoriale tuum in generationem, & generationem.
Tu exurgens misereberis Sion : quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. (buntur.
Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius : & terræ eius misere-
Et timebunt gentes nomen tuum Domine : & omnes reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificauit Dominus Sion : & videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem hnmilium : & non spreuit precem eorum.
Scribantur hæc in generatione altera : & populus qui creabitur, laudabit Dominum.
Quia prospexit de excelso sancto suo : Dominus de cœlo in terram aspexit. (rum.
Vt audiret gemitus compeditorum : vt solueret filios interemptoVt annuntient in Sion nomen Domini : & laudem eius in Ierusalē.
In conueniendo populos in vnum : & reges vt seruiant Domino.
Respondit ei in via virtutis suæ : paucitatem dierum meorum nuncia mihi.
Ne reuoces me in dimidio dierum meorum : in generationem & generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundasti : & opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur. Gloria Patri, &c.

Psalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino

A custodia matutina vsq; ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Psalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus

ribus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.
Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.
Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te speraui.
Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.
Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum. Gloria Patri, &c.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,	Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus,	Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus,	Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus,	Miserere nobis.
Sancta Maria,	Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix,	ora.
Sancta Virgo virginum,	ora.
Sancte Michael,	ora.
Sancte Gabriel,	ora.
Sancte Raphaël,	ora.
Omnes sancti Angeli & Archangeli,	Orate pro nobis.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptista, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ, orate.
Omnes sancti discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Ioannes & Paule, orate.
Sancti Cosma & Damiane, orate.
Sancti Gervasi & Prothasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.

Sancte Gregori, Ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Stanislae, ora.
Sancte Venceslae, ora.
Sancte Adalberte, ora.
Sancte Floriane, ora.
Sancte Casimire, ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores, Orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Hyacincte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Anna, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catherina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea & improuisa morte, libera.
Ab insidijs diaboli, libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure & tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuam, libera.
Per baptismum & sanctum ieiunium tuum, libera.
Per crucem & passionem tuam, libera,
Per mortem & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per àduentum Spiritus sancti paracleti, libera.
In die Iudicij, libera.
Peccatores, Te rogamus audi not.
Vt nobis parcas, te rogamus.
Vt nobis indulgeas, te rogamus.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere & conseruare digneris, te rog.
Vt domnum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines, in sancta religione conseruare digneris, te rogamus.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus.
Vt Regibus & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, te rogamus.

Vt cun-

Vt cuncto populo Christiano pacē & vnitatē largiri digneris, Te.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.
Vt animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, te rogamus.
Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rogamus.
Vt omnibus fidel: defunctis requiē æternā donare digneris, Te.
Vt nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

DEvs in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.
Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.
Auertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.
Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi; euge, euge.
Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
Ego verò egenus, & pauper sum: Deus adiuua me.
Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.
Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat no-

nat nocere nobis. ℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Oremus pro Pontifice nostro N. ℟. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. ℣. Oremus pro pro benefactoribus nostris. ℟. Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam. ℣. Oremus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Saluos fac seruos tuos, Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEvs, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine, misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his meremur, eripias.

DEvs qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

Deus,

DEvs, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam quam mundus dare non potest pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

VRe igne sancti Spiritus renes nostros,& cor nostrũ Domine,vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum,famularumq; tuarum,remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras,quæsumus Domine,aspirando præueni,& adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & operatio,à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniumq; misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosq; vel præsens sæculum adhuc in carne retinet,vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum,&c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Et fideliũ animæ per misericordiã Dei, requiescant in pace. ℟. Amẽ.

DE VISITATIONE
& cura Infirmorum.

PArochus inprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curam habere: Quare cùm primùm nouerit, quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non expectabit, vt ad eum vocetur; sed vltrò ad illum accedat, idq; non semel tantùm, sed sæpiùs, quatenus opus fue-

pus fuerit; hortetur q; Parochiales suos, vt ipsum admoneant, cùm aliquem in Parochia sua ægrotare contigerit, præcipuè si morbus grauior fuerit.

Ad hoc iuuabit, præsertim in amplis Parochijs, ægrotorum notam seu catalogum habere, vt cuiusq; statum & conditionem cognoscat, eorumq; memoriam facilius retinere, & illis opportunè subuenire possit.

Quodsi Parochus legitimè impeditus, infirmorum, vt quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest, id præstandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua, aut saltem per laicos homines pios, & Christianâ charitate præditos.

Aegrotos visitans, ea qua Sacerdotes Domini decet honestate & grauitate se habeat, vt non ægris solùm, sed sibi & domesticis verbo & exemplo prosit ad salutem.

Eorum verò præcipuam curam geret, qui humanis auxilijs destituti, benigni ac prouidi pastoris charitatem, & operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, & eleemosynas illis, prout debet si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, siue per charitatis, vel alterius nominis Confraternitatem, si in ea ciuitate vel loco fuerit; siue per priuatas, siue per publicas collectas, & eleemosynas illorum necessitatibus succurrendum curabit.

Inprimis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemq; diligentiam in eo ponat, vt in via salutis eos dirigat, atq; à diabolicis insidijs salutarium adiumentorum præsidio defendat, ac tueatur.

Accedat autem ad ægrotum ita paratus, vt in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta; ac præsertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent, quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. Hortetur q;, vt omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat; diuinam misericordiam imploret, & infirmitatis pœnas tanquam paternam Dei visitationem patienter ferat, & ad salutẽ suam prouenisse credat, vt vitã mores q; suos melius instituat.

Deinde qua par est prudentia & charitate, hominem ad sacram Confessionem inducat, & confitentem audiat, etiamsi velit totius vitæ peccata confiteri; ac si opus fuerit, tàm infirmo, quam eius familiaribus, vel propinquis in memoriam reuocet, quod Lateranen: Concilij, ac plurium Summorum Pontificum decretis cauetur sub grauibus pœnis, ne Medici vltra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi prius ipsis certò constet, illos Confessionis Sacramento ritè expiatos esse.

Illud præterea diligenter seruari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, vel adhibeat; quod in detrimentum animæ conuertatur.

Vbi ve-

Vbi verò periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, ne Dæmonum astutiâ, neq; Medicorum pollicitationibus, neq; propinquorum, aut amicorum blanditijs, se vllo modo decipi sinat, quominùs ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportunè procuret; & qua par est deuotione, & celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integriq; sensus, religiosè suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, in diesq; fallente diabolo, perducit.

Quodsi æger aliquis hortationibus ac monitis Sacerdotum, vel amicorum, & domesticorum consilijs adduci non potest, vt velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est; sed quamdiu ille viuit, repetendæ sunt frequentes, variæ, & efficaces Sacerdotum, & aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaq; æternæ salutis damna, & sempiternæ mortis supplicia; ostendendaq; immensa Dei misericordia, eum ad pœnitentiam prouocantis, ad ignoscendum paratissimi: adhibendæ sunt etiam tum priuatæ, tum publicæ ad Deum preces, ad Diuinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

Videbit deniq; Sacerdos, quibus potissimum tentationibus, aut prauis opinionibus æger sit subiectus, eiq; prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

Sacras imagines Christi Domini crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti, quem æger præcipuè veneratur, ob oculos eius apponi curabit. Vasculum item adsit aquæ benedictæ, quâ frequenter aspergatur.

Proponet etiam ægrotanti, prout eius conditio feret, aliquas breues orationes, & pias mentis ad Deum excitationes, præsertim Versiculos è Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, & Sanctorum martyria, & exempla, ac cælestis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportunè & discretè suggerantur, ne ægroto molestia, sed leuamen afferatur.

Consoletur infirmum dicens, se pro eo in Missæ sacrificio, & alijs precibus oraturum, curaturumq; vt alij itidem pro eo faciant, idq; re ipsa præstabit.

Si morbus grauior, vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat, vt dum integra mente est, rem suam omnem rectè constituat, & testamentum faciat; si quid habet alienum, restituat, & ad remedium animæ suæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat: sed hæc suggerendo, omnis auaritiæ nota caueatur.

Hortetur deniq;, vt si conualuerit, ante omnia ad Ecclesiam veniat, vbi Deo gratias agat de restitutâ valetudine, & Sacram Communionem piè suscipiat, ac deinceps meliorem vitæ disciplinam teneat.

Sequentes preces omnes vel ex parte, prout tempus, & ægrotorum conditio feret, arbitrio Sacerdotis, dici vel omitti possunt.

Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus, primùm dicat: Pax huic domui. ℟. Et omnib⁹ habitãtibus in ea. Mox infirmum & lectum eius & cubiculum aspergat aquâ benedictâ, dicens Antiphonam: Asperges me Domine, &c. Deinde erga infirmum officium suum præstet, vt supra dictum est. Quo præstito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus Pœnitentialibus, vel Psal: Qui habitat in adiutorio, &c. cum Gloria Patri. in fine. Postea dicat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxiliũ de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟ A facie inimici. ℣. Dominus opem ferat illi. ℟. Super lectum doloris eius. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram, vt nos & hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur.

COncede hunc famulum tuum, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, &

tia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum D. nostrum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

Qui sequuntur Psalmi, & Euangelia cum precibus, pro temporis etiam opportunitate, & ægrotantium pio desiderio, Sacerdotis arbitrio, dici poterunt: Psalmus, Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Gloria Patri. Sicut erat. vt supra. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sequentia S. Euangelij secundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

Dum Sacerdos dicit Sequentia sancti, &c. faciat signum crucis de more super se in fronte, ore, & in pectore: similiter super infirmum, si fuerit masculus, & is ob infirmitatem non potest se signare.

Si autem fuerit fœmina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis prædictis se signet, si potest: si verò non potest, alia mulier eam signet, & hoc idem in sequentibus Euangelijs seruetur. Matth. 8.

IN illo tempore: Cùm introijsset Iesus Capharnaũ, accessit ad eũ Centurio, rogans eũ & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic: vade, & vadit; & alio, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se, dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni, eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illâ horâ.

O remus.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ implo-

imploramus auxilium, vt redditâ sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Psalmus 15.

COnserua me Domine, quoniam speraui in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper & vsq; ad noctem increpuerunt me renes mei.

Prouidebam Dominum, in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescit in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finem.

Gloria Patri, &c. Sicut erat in principio, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Euangelij secundùm Marcum.

℟. Gloria tibi Domine. Marc: 16.

INillo tempore. Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis IESVS, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis,

cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Oremus.

VIrtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem, præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, uomen sanctum tuum, instauratâ protinus sanitate, benedicat. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Psalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: & de Syon tueatur te.

Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.

Domine saluum fac Regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine. Luc: 4.

IN illo tempore. Surgens IESVS de synagoga, introiuit in domum Simonis: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus; & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam, & continuò surgens ministrabat illis. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis, infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, vt salutaribus remedijs pietatis tuæ, corpora nostra & mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende, vt omni necessitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfectè reparetur. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Psalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

CUstodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum, Deus meus sperantem in te.

MIserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

QUoniam tu Domine suauis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

AUribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die

In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundùm opera tua.

Omnes gentes quascunq; feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternùm.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & misericors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & cõfundantur: quoniã tu Domine adiuuisti me, & cõsolatus es me.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Euangelij secundùm Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine. Ioan: 5.

IN illo tempore: Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè, Bethsaida, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium: cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo

homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia multum iam tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogabant ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus autem declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Oremus.

REspice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refoue, quam creâsti; vt castigationibus emundatus, continuo se sentiat tuâ medicinâ saluatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 90.

QVi habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantiũ: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: nõ timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Dumine spes mea: altissimum posuisti refugium tuam.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedē tuū.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meū.

Gloria Patti, & Filio, &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius respice, atq; ad protegendum eum dexteram tuæ Maiestatis extende. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Completâ oratione vltimâ, Sacerdos imponat dexteram manum super caput infirmi, & dicat:

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Iesus Mariæ filius, mundi salus & Dominus, meritis, & intercessione Sanctorum Apostolorum suorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, sit tibi clemens & propitius. Amen.

Postea dicat, ℣ Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Initium sancti Euangelij secundùm Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum: non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. ℟. Deo gratias.

Postea benedicens infirmum, subiungit, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aquâ benedictâ.

Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo, vel loco, Preces, & Orationes prædictæ, dicantur super eos in numero plurali.

Quæ omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breuiora fieri.

Modus iuuandi morientes.

IN grauescente morbo, Parochus infirmum frequentiùs visitabit, & ad salutem diligenter iuuare non desinet: monebitq; instante periculo se confestim vocari, vt in tempore præsto sit morienti, sumptoq; Sanctissimo viatico, & sacrâ Vnctione adhibitâ, si periculum immineat, statim commendationis animæ officium præstabit, de quo infrà. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia præstare poterit, si ita expedire iudicauerit pro conditione personæ. Ac pri-

Ac primùm si ægrotus indulgentiam legitimâ authoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatq; quid ad eam consequendam agi debeat; præsertim, vt contrito corde Sanctissimum Nomẽ IESV semel, vel sæpiùs inuocet.

Deinde hortetur infirmum, & excitet, vt dum mente viget, eliciat actus fidei, spei, & charitatis, aliorumq; virtutum, nempè:

Vt firmiter credat omnes articulos fidei, & quicquid Sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit, & docet.

Vt speret, Christum Dominum nostrum, pro sua immensa clementia, sibi fore propitium, & merito eius Sanctissimæ Passionis, & per intercessionem Beatæ Mariæ, & Omnium Sanctorum, se vitam æternam consequuturum.

Vt toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum, eâ dilectione, quâ illum diligunt Beati, Sanctiq; omnes.

Vt ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensâ, qualitercunq; contra Dominum Deum & proximum commissa.

Vt ex corde, ob amorem Dei, parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici.

Vt ab ijs veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.

Vt quem patitur dolorem, & morbi molestiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

Vt si Dominus sibi Salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis cauere, & eius mandata seruare.

Hortetur præterea, vt eo modo quo potest, saltem ex corde ita per interualla precetur.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

In te Domine speraui: non confundar in æternum.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Esto mihi Domine in Deum protectorem.

Deus propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Iesu Christe, per virtutem Sanctissimæ Passionis tuæ, recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste.

Omnes Sancti Angeli, & omnes Sancti, intercedite pro me, & mihi succurrite.

Hæc & his similia, poterit prudens Sacerdos, vulgari, vel Latino sermone, pro personæ captu, morienti suggerere.

Deinde sequentes Preces quanta poterit maiori deuotion dicat, admoneatq; domesticos & circumstantes, vt simul orent pro moriente.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ.

PArochus ad decedentis animæ commendationem accedens, Clericum saltem vnum, si potest, secum habeat, qui deferat vasculum Aquæ benedictæ, superpelliceum & stolam violaceam, quibus ipse Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens dicat: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergat ægrotum, lectum, & circumstantes, Aquâ benedictâ, dicens: Asperges me Domine hyssopo & mundabor, &c.

Postea Saluatoris nostri crucifixi imaginem ægroto osculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigẽs, ipsamq; imaginem coram eo ponat, vt illam aspiciens, salutis suæ spem sumat.

Deinde accensâ candelâ, genibus flexis cum omnibus circumstantibus, breues Litanias deuotè recitet, in hunc modum.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Sancta Maria, Ora pro eo.
Omnes sancti Angeli & Archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel, ora pro eo.

Omnis

Omnis Chorus iustorum, orate.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Ioannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Omnes Sancti Apostoli & Euangelistæ, orate.
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Syluester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes Sancti Pontifices & Confessores, orate.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Lucia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro eo.
Propitius esto, Parce ei Domine.
Propitius esto, Libera eum Domine.
Propitius esto, Libera eum Domine.
Ab ira tua, libera eum Domine.
A periculo mortis, libera.
A mala morte, libera.

A pœnis inferni. libera.
A b omni malo, libera.
A poteſtate diaboli, libera.
P er Natiuitatem tuam, libera.
P er Crucem & Paſſionem tuam, libera.
P er mortem & ſepulturam tuam, libera.
P er glorioſam Reſurrectionem tuam, libera.
P er admirabilem Aſcenſionem tuam, libera.
P er gratiam Spiritus ſancti Paraclyti, libera.
I n die Iudicij, libera eum Domine.
P eccatores, Te rogamus audi nos.
V t ei parcas, Te rogamus audi nos.
K yrie eleiſon. C hriſte eleiſon. K yrie eleiſon.

Deinde cùm in agone ſui exitus anima anxiatur, dicantur ſequentes Orationes.

Oratio.

PRoficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo, In nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creauit: in nomine Ieſu Chriſti Filij Dei viui, qui pro te paſſus eſt: in nomine Spiritus ſancti, qui in te effuſus eſt: in nomine Angelorum & Archangelorum: in nomine Thronorum, & Dominationum: in nomine Principatuum & Poteſtatum: in nomine Cherubim & Seraphim: in nomine Patriarcharum & Prophetarum: in nomine Sanctorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum: in nomine Sanctorum Martyrum & Cõfeſſorum: in nomine Sanctorum Monachorum & Eremitarum: in nomine ſanctarum Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei: hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua in ſancta Syon. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio.

DEvs miſericors, Deus clemens, Deus, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, &

præteri-

præteritorum criminum culpas veniâ remissionis euacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. & remissionem omnium peccatorum suorum totâ cordis confessione poscentem, deprecatus exaudi. Renoua in eo, pijssime Pater, quicquid terrenâ fragilitate corruptum, vel quicquid diabolicâ fraude violatum est, & vnitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum, miserere lachrymarum eius: & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad tuæ Sacramentū reconciliationis admitte. Per Christum Dominū nostrū. ℟. Amen.

COmmendo te omnipotenti Deo, charissime frater, & ei, cuius es creatura, committo: vt cùm humanitatis debitum morte interueniente persolueris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaq; animæ tuæ de corpore, splendidus Angelorum cætus occurrat: iudex Apostolorum tibi senatus adueniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: iubilātium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis atq; festiuus Christi IESV tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi terrimus sathanas cum satellitibus suis: in aduentu tuo, te comitantibus Angelis, contremiscat, atq; in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: & iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur, & erubescant omnes tartareæ legiones; & ministri Sathanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus filius Dei viui intra

parad:si

paradisi sui semper amæna virentia, & inter oues suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absoluat, atq; ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

SVscipe Domine, seruum tuum, in locum sperandæ sibi saluationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Enoch, & Eliam, de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera Dom ne, animam serui tui, sicut liberâsti Noe de diluuio. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Abraham de Vr Chaldæorum. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Iob de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Isaac de hostia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Libera Domine, animam serui tui, sicut liberâsti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera

Libera Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Dauid de manu Regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera Domine, animam ſerui tui, ſicut liberaſti Petrum & Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et ſicut beatiſſimam Theclam virginem & martyrem tuam, de tribus atrociſſimis totmentis liberâſti: ſic liberare digneris animam huius ſerui tui, & tecum facias in bonis congaudere cœleſtibus. ℟. Amen.

COmmendamus tibi Domine, animam famuli tui N. precamurq; te Domine IESV Chriſte, Saluator mundi, vt propter quam ad terram miſericorditer deſcendiſti, Patriarcharum tuorum ſinibus inſinuare non renuas. Agnoſce Domine creaturam tuam, non à Dijs alienis creatam, ſed à te ſolo Deo viuo & vero: quia non eſt alius Deus præter te, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica Domine animam eius in conſpectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitauit furor, ſiue feruor mali deſiderij. Licet enim peccauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, non negauit, ſed credidit; & zelum Dei in ſe habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adorauit.

Oratio.

DElicta iuuentutis, & ignorantias eius quæſumus, ne memineris Domine: ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam memor eſto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, ſeruum tuum ſuſcipe. Suſcipiat eum ſanctus Michael Archangelus Dei, qui militiæ cœleſtis meruit principatum. Veniant illi obuiam ſancti Angeli Dei, & perducant eum in ciuitatem cœleſtem Ieruſalem. Suſcipiat eum beatus Petrus Apoſtolus, cui à Deo claues Regni cœleſtis traditæ ſunt. Adiuuet eum ſanctus Paulus Apoſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electionis. Intercedat pro eo ſanctus Ioannes ele-

ctus Dei Apostolus, cui reuelata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligãdi atq; soluendi. Intercedant pro eo omnes Sancti, & electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: vt vinculis carnis exutus, peruenire mereatur ad gloriam regni cœlestis: præstante Domino nostro IESV Christo. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Si verò diutiùs laborat animâ, poterit legi super eum hoc Euangelium sancti Ioannis. Ioan: 17.

SVbleuatis oculis in cœlum IESVS, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna: Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquàm mundus esset, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in

tum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognouit. Ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Passio Domini nostri Iesu Christi, secundùm Ioannem, Cap: 18.

IN illo tempore: Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis. Iesus itaq; sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæ-

ritis, finite hos abire. Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit Pontificis seruum: & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehēderunt Iesum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primùm. Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cedis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonnè ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet inter-

cet interficere quemquam. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit: significans qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices, tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit tamen ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocē meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? Clamauerunt ergo rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderuut ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro

dit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta; & dicit Iudæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamabãt: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus Regem, niſi Cæſarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt. Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum; Hæbraicè autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum. Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia propè ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus: & erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, (& fecerunt quatuor partes: vnicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt ſcriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortẽ. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cũ vidiſſet ergo Ieſus Matrẽ, & diſcipulum ſtantẽ, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium

nium

nium eius. Et ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt. Posthæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Oratio ad Dominum Iesum Christum, de singulis articulis Passionis Christi, dicenda à moriente, vel ab alio pro eo.

℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.
℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

DEvs, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis, indecenter offerri; à falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clauis affigi, in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari: Tu Domine per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem, & mortem tuam, libera me vel si alius dicit pro eo libera famulum tuum N. à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Dici præterea possunt sequentes Psalmi.

Psalmus

Psalmus 117.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicat nunc Israël quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicat nunc domus Aaron: quoniã in sæculum misericordia eius.
Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.
De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.
Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.
Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.
Bonum est confidere in Domino: quàm confidere in homine.
Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus.
Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Impulsus euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutẽ.
Vox exultationis & salutis: in tabernaculis iustorum.
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.
Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini.
Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.
Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutẽ.

Lapidem

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.
A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.
Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.
O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.
Benedximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.
Constituite diem solennem in condensis: vsq; ad cornu altaris.
Deus meus es tu,& cõfitebor tibi: Deus meus es tu,& exaltabo te.
Confitebor tibi,quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutẽ.
Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Psalmus 118.

BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
Beati qui scrutãtur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.
Non enim qui operantur iniquitatem: in vijs eius ambulauerunt.
Tu mandâsti: mandata tua custodiri nimis.
Vtinam dirigantur viæ meæ: ad custodiendas iustificationes tuas.
Tunc non confundar:cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.
Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ.
Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsq;quaque.
In quo corrigit adolescentior viam suam: in custodiendo sermones tuos.
In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.
In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi.
Benedictus es Domine: doce me iustificationes tuas.
In labijs meis: pronuntiaui omnia iudicia oris tui.
In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus diuitijs.

In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.
In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.
Gloria Patri, & Filio, &c.

REtribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.
Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.
Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.
Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas: in omni tempore.
In crepasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.
Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.
Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.
Nam & testimonia tua meditatio mea est; & consilium meum iustificationes tuæ.
Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbū tuū.
Vias meas enuntiaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.
Viam iustificationum tuarum instrue me; & exercebor in mirabilibus tuis.
Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.
Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.
Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.
Adhæsi testimonijs tuis Domine: noli me confundere.
Viam mandatorum tuorum cucurri: cùm dilatâsti cor meum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Tres piæ & vtiles morientibus Orationes, cum tribus & tribus Aue Maria. in agone mortis recitandæ.

Primo dicitur Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria.

Oratio.

Oratio.

DOmine IESV Christe, per tuam sanctissimam agoniam, & orationem: quâ orâsti pro nobis in monte Oliueti, quando factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: obsecro te, vt multitudinem sudoris tui sanguinei, quem præ timoris angustia copiosissimè pro nobis effudisti, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis suæ, ab omnibus pœnis & angustijs, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Secundò dicitur Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Aue Maria.

Oratio.

DOmine IESV Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obsecro te, vt omnes amaritudines passionum, & pœnarũ tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, maximè in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, pro anima huius famuli tui N. & libera eum in hac horâ mortis ab omnibus pœnis, & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tertiò dicitur Kyrieleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Aue Maria.

Oratio.

DOmine IESV Christe, qui per os Prophetæ, dixisti: In charitate perpetuâ dilexi te, ideo attraxi te miserans: obsecro te, vt eandem charitatem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre, & ostẽ-

dere digneris Deo Patri omnipotenti, pro anima huius famuli tui N. & libera eum ab omnibus passionibus, & pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salua animam eius in hac hora exitus sui. Aperi ei ianuam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu pijssime Domine Iesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo, miserere animæ huius famuli tui, & eam introducere digneris ad semper virentia, & amæna loca paradisi, vt viuat tibi amore indiuisibili, qui à te, & ab electis tuis nunquam separari potest. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In Expiratione.

CVm verò tempus expirandi institerit, tunc maximè ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse verò moriens, si potest, dicat: vel si non potest, assistens, siue Sacerdos pro eo clara voce pronunciet: Iesu, Iesu, Iesu. Quod & ea, quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpiùs repetat: In manus tuas Domine cõmendo spiritum meum. Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria ora pro me, Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Tunc vbi viget pia consuetudo, pulsetur campana Parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in vrbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem expirantis ægroti, vt pro eo Deum rogare possint. Egressâ animâ de corpore, statim dicatur hoc Responsorium.

SUbuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini; Suscipientes animam eius; Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. ℟. Suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Requiem æternam, dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TIbi Domine, commendamus animam famuli tui N. vt defunctus sæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum.

Interim detur campanæ signum transitûs defuncti, pro loci consuetudine, vt audientes pro eius anima Deum precentur. Deinde corpus de more honestè compositum, loco decenti, cum lumine, collocetur; ac parua crux super pectus inter manus defuncti ponatur: aut vbi crux desit, manus in modum crucis componantur: interdumq; aspergatur aquâ benedictâ, & interim donec efferatur, qui adsunt, siue Sacerdotes, siue alij, orabunt pro defuncto.

DE EXEQVIIS.

SAcras cæremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, & Summorum Pontificum institutis, sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequijs vti solet; tanquam vera religionis mysteria, Christianæq; pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio seruare debent, atq; vsu retinere.

His itaq; præstandis, quâ par est modestiâ, ac deuotione ita se habebunt, vt ad defunctorum salutem simulq; ad viuorum pietatem, quemadmodum verè sunt, non ad quæstum, eiusmodi ritus sancti instituti esse videantur.

Nullum corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis interuallum, vt nullus omnino de morte relinquatur dubitādi locus.

Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, vt Missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.

Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis, præsente corpore, celebrari poterit; dum tamen Conuentualis Missa, & officia Diuina non impediantur, magnaq; diei celebritas non obstet.

Caueant omnino Parochi, aliíq; Sacerdotes, ne sepulturæ, vel exequiarum, seu anniuersarij mortuorum officij causa, quicquam paciscantur, aut tanquam pretium exigant. Sed ijs eleemosynis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. Neq; permittant, vt pallia, aut alia altaris ornamenta, ad ornatum feretri vel tumbæ, adhibeantur.

Cùm autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in exequijs & funeribus deferre, caueant item, ne eiusmodi ritus omittatur, ac ne quid auarè aut indignè in eo commitatur.

Pauperes verò quibus mortuis nihil aut ita parum supereſt, vt proprijs impensis humari non possint, gratis omninò sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si fuerit, iuxta loci consuetudinem.

Vbi viget antiqua consuetudo, sepeliendi mortuos in cæmeterijs, retineatur, & vbi fieri potest, restituatur; at verò cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur. Cadauera autem propè altaria non sepeliantur.

Sepulchra Sacerdotũ & Clericorũ cuiuscunq; Ordinis, vbi fieri potest, à sepulchris laicorum separata sint; ac decentiori loco sita: atq; ita vbi cõmodũ fuerit, vt alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Ecclesiæ ministris, parata sint.

Sacerdos, aut cuiusuis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus vsq; ad talarem vestem inclusiuè; tum desuper sacro vestitu Sacerdotali vel Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, albâ, cingulo, manipulo, stolâ, & casula, seu planeta violacea sit indutus.

Diaconus verò induatur amictu, albâ, cingulo, manipulo, stolâ, super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextra annectatur, & Dalmaticâ violaceâ.

Subdiaconus autem amictu, albâ, cingulo, manipulo & tunicellâ.

Alij præterea inferiorum Ordinum Clerici, superpelliceo supra vestem talarem ornari debent: singuli prædicti cum tonsura ac biretis suis.

Nullum porro cadauer perpetuæ sepulturæ traditum, ex vlla cuiusuis Ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarij.

Laici cadauer, quolibet generis aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, Clerici ne deferant, sed laici.

Corpora

Corpora defunctorum, in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare maius, vel si conduntur in Oratorijs, aut Capellis ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria, quod etiam pro situ & loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus altare.

Cæterum, nemo Christianus in communione fidelium defunctus, extra Ecclesiam aut cæmeterium ritè benedictum sepeliri debet. Sed si necessitas cogat ex aliquo euentu aliquando ad tempus fieri; curetur, vt quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quàmprimùm transferatur, & interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quieuisse.

Quibus non licet dari Ecclesiasticam sepulturam.

IGnorare nõ debet Parochus, qui ab Ecclesiasticâ sepulturâ ipso iure sunt excludẽdi: ne quenquam ad illam contra Sacrorũ Canonum decreta vnquã admittat.

Negatur itaq; Ecclesiastica sepultura Paganis, Iudæis, & omnibus infidelibus, Hæreticis, & eorum fautoribus: Apostatis à Christiana fide, Schismaticis, & publicè excommunicatis maiori excommunicatione. Interdictis nominatim, & ijs, qui sunt in loco interdicto, eo durante.

Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ.

Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa.

Manifestis & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt.

Iis, de quibus publicè constat, quòd semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis & Communionis in Pascha, & absq; vllo signo contritionis obierunt.

Infantibus mortuis absq; baptismo.

Vbi verò in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

Exequiarum Ordo.

COnstituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, conuocetur Clerus, & alij, qui funeri interesse debent, & in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conueniant: ac datis certis campanæ signis, eo modo & ritu, quo in eo loco fieri solet, Parochus indutus superpelliceo, & stolâ nigrâ, vel etiam pluuiali eiusdem coloris, Clerico præferente crucem, & alio aquam benedictam, ad domum defuncti vnà cum alijs procedit; & ibi, si fuerit requisitus, Officium defunctorum absoluit, vel totum, vel ex rationabili causa saltem primum Nocturnum cum Laudibus, & alijs Orationibus. Distribuuntur postea cerei, & accenduntur intortitia: mox ordinatur Processio, præcedenti-

cedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus Regularis & Secularis per Ordinem, biniq; procedunt, prælata Cruce, deuotè Psalmos, vt infra, decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus, inde sequuntur alij funus comitantes, & pro defuncto Deum ritè deprecantes cum silentio.

Parochus verò antequam cadauer efferatur, illud aspergit aquâ benedictâ; mox dicit Antiph: Si iniquitates. cum Psal: De profundis clamaui ad te, &c. in fine, Requiem æternam dona ei Domine; & lux perpetua luceat ei. Repetit Antiph: totam: Si iniquitates, &c. Deinde cadauer effertur, Parochusq; de domo procedens, statim graui voce intonat Antipho: Exultabunt Domino. & Cantores inchoant Psalmum, Miserere mei Deus, secundùm magnam, &c. Clero alternatim prosequente: ac si longitudo itineris postulauerit, dicuntur Psalmi Graduales, Ad Dominum cum tribularer clamaui. vel alij Psalmi ex Officio mortuorum; & in fine cuiusq; Psalmi dicitur: Requiem æternam dona ei Domine, &c. qui Psalmi deuotè, distinctè, grauiq; voce recitari debent vsq; ad Ecclesiam.

Ad ingressum Ecclesiæ, repetitur Antiph: Exultabunt Domino ossa humiliata. Deinde Ecclesiam ingressi, cantant Resp: Cantore incipiente, & Cloro alternatim respondente, videlicet:



O fferen-


Offeren tes e am. in conſpe ctu
Al tiſ ſimi. Ś uſcipiat te
Chriſtus,qui vo ca uit te: &
in ſinu Abrahæ Angeli dedu
cant te. ℣. Ś uſcipientes. ℟ equiem
æternam dona e i Do mine, &
lux perpe tua lu ceat



Depositò feretro in medio Ecclesiæ, ita vt defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius; si fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum altare; celebretur Missa pro defuncto.

Finitâ Missâ, Sacerdos depositâ casulâ, seu planeta, & manipulo, accipit pluuiale nigri coloris, & Subdiaconus accipit crucem, & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti, cum cruce, medius inter duos Acolytos, seu ceroferarios cum candelabris, & candelis accensis: & omnes alij in gradu suo, cum candelis accensis, & stant in ir Sacerdos cum Diacono & assistente, alijsque facta reuerentia Altari, sistit se contra crucem ad pedes defunti, ab sinistris duobus Acolythis, vno cum thuribulo, & alter cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, & Acolythus deferente librum, absolutè dicit sequentem Orationem.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua iudicialis sententia premat, quem ibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat; sed gratia tua illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo Sanctæ Trinitatis. Qui vius & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium.


ter na in die illa tremen-
da. Quando cæ li mo uendi sunt,
& ter ra. Dum ve-
neris iu dica re
sæ culum per i gnem.
Tremens factus sum ego, & ti meo dum discus
venerit, at que ventura ir. Quando



Dum cantatur prædictum Responsorium, Sacerdos Acolytho seu Diacono ministrante, accipit incensum de navicula, & ponit in thuribulum; & finito Responsorio, Cantor cum primo choro dicit:



Pater noster, &c. & secrete dicitur ab omni-

omnibus, & ipse interim accipit à Diacono vel Acolytho aspersorium aquæ benedictæ, & factâ profundâ inclinatione Cruci, quæ est ex aduerso, Diacono, seu ministro genu flectente, & fimbrias pluuialis subleuante circũiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit) aspergit corpus defuncti: deinde reuersus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, & eodem modo circuit feretrum, & corpus incensat, vt asperserat: postea reddito thuribulo, ei à quo acceperat, stans in loco suo, Acolytho, seu alio ministro, tenente librum apertum ante se, dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs cui proprium est misereri semper & parcere, te supplices exoramus, pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc seculo migrare iussisti, vt non tradas eam in manus inimici, neq; obliuiscaris in finem; sed iubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad triam Paradisi perduci: vt quia in te sperauit, & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: pro anima famuli tui Sacerdotis, quàm hodie, &c.

Finita Oratione, corpus defertur ad sepulchrum, si tunc haberi commode potest; & dum portatur, clerici cantant Antiphonam.

IN paradisum deducant te Angeli: in tuo ad-

ru



uentu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in ci-

uitatem ſanctam Hieruſalem: Chorus Angelorum te ſu-

ſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam ha-

Cum autem peruenerit ad ſepulchrum, ſi non eſt benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc orationem.

beas requiem.

℣. Oremus.

DEvs, cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt, hunc tumulum benedicere dignare, eiq; Angelum tuum ſanctũ deputa cuſtodem; & quorum quarumq; corpora hic ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolue vinculis delictorum, vt in te ſemper, cum Sanctis tuis, ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Dicta Oratione, Sacerdos aquam benedictam aſpergat, deinde incenſet corpus defuncti, & tumulum.

Deinde corpus ad ſepulturam defertur, omiſſo Reſponſorio In paradiſum, &c. Et cum ad ſepulturam ventum eſt, priuſquam benedictum, quod immediate ſequitur omittitur, & intonet An-

EGo ſum



Postea Sacerdos dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. interim corpus aspergit. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

FAc, quæsumus Domine, hanc cum seruo tuo defuncto, (famula tua defuncta) misericordiam, vt factorum suorum

pœnis non recipiat vicem, qui, vel quæ, tuam in votis tenuit voluntatem: vt sicut hic eum, vel eam, vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum, vel eam, tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum, per misericordiam Dei requiescant in pace.

Deinde à sepultura Ecclesiam, vel in Sacristiam reuertentes, dicant sine cantu Antiph: Si iniquitates. cum Psalmo, De profundis, &c. Requiem æternam dona eis Domine, &.

Si verò ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis & Laudibus, dici non potest: dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, maxime vbi eiusmodi viget consuetudo; incipiendo ab Inuitatorio: Regem cui omnia viuunt, Venite, &c.

Et postea omnia alia dicantur, quæ præscripta sunt dicenda post Officium Mortuorum, & Missam.

Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia vrgens necessitas, vt totum Nocturnum cum Laudibus dici non possit; aliæ prædictæ Preces & Suffragia nunquam omittantur.

Missa verò, si hora fuerit congruens, tum pro Defunctis, vt in die obitus, præsente corpore non omittatur: nisi obstet magna diei solennitas, aut alia necessitas aliter suadeat, & post Missam fiat vt supra.

Ordo Exequiarum breuior, ex vsu Prouinciæ huius.

Cum corpus defuncti domo efertur, canitur Responsorium: Libera me Domine, &c. Cum autem ad Ecclesiam vel Cæmeterium delatum fuerit, dicendo ad quod feretri pedes sepulchrum stante, canitur Responsorium: Qui Lazarum, &c. cum suo versu, & Requiem æternã, &c. Quo finito, dicit cum aliis, si commodè poterit, genuflexus, dicit Versum: Kyrie eleison. Resp: Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

℣. Et ne

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi ℟. Libera Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde assurgendo prosequitur; Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam inspirare dignatus es, dum te iubente, puluis redit in puluerem: tu imaginem tuam eidem corpori, virtute resurrectionis tuæ reddendam, cum Sanctis, & electis tuis, æternis sedibus præcipias sociari. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

Deinde defuncto in tumulum demisso, Sacerdos aspergat illum aquâ benedictâ, & parum terræ injciendo, dicat:

De terra formasti me Domine, & carne induisti me: resuscita me in nouissimo die, redemptor meus Domine. Postremò dum perficitur sepultura, canitur per chorum Antiph: Salue Regina.

OFFICIVM DEFVNCTORVM.

DIcitur in choro, vel in domo defuncti, in die depositionis, & alijs diebus, pro temporis opportunitate, & Ecclesiarum consuetudine, vt supra dictum est. In die verò depositionis, & tertio, septimo, & anniuersario, duplicantur Antiph. Et in fine Psalmorum dicitur: Requiem æternam dona eis Domine. Et lux perpetua luceat eis.

Etiamsi pro vno tantùm fiat Officium.

Ad Vesperas absolutè incipitur ab Antiphona.



Lacebo Domino in regione viuorum



uorum. E uouae.

Psalmus 114.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.
Quia inclinauit aurē ſuā mihi: & in diebus meis inuocabo.
Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.
Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.
O Domine libera animam meam: miſericors Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.
Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me.
Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus bene fecit tibi.
Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu.
Placebo Domino: in regione viuorum.
Requiem æternam.

Antiph.



Hei mi hi Domine, quia incola tus meus pro-

longatus eſt. E uouae. Pſalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer clamaui: & exaudiuit me.
Domine libera animā meā à labijs iniquis: & à lingua doloſa.

Quid

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam?
Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.
Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Antiph.



Psalmus 120.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.
AAuxilium meum à Domino: qui fecit cœlum & terram.
Non det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit, neq; dormiet: qui custodit Israel.
Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.
Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.
Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Ant.

qui sustinebit. E uouae. Psalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legē tuā sustinui te Dne.

Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina vsq; ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eū redēptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

Ant.



O Pe ra manuum tuarum Domine ne de

Psalmus 137.

spicias. E uouae.

CONfitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam exaudisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Confite-

Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ : qui audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in vijs Domini : quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit : & alta à longe cognoscit.

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me : & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me : Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

℣. Audiui vocem de cælo dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ad Magnif: Antiph.



Cant. Magnificat.

MAgnificat anima mea Dominum.

Et exultauit spiritus meus : in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.
Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.
Fecit potentiã in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.
Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.
Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini eius in secula.
Requiem æternam dona eis Domine, &c.

Sequentes Preces dicuntur flexis genibus. Pater noster, secretò.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quam diu fuero.
Nolite confidere in principibus: in filijs hominum, in quibus non est salus.
Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.
Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius: qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.
Qui custodit veritatem in sæculum, facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus.
Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cœcos.
Dominus erigit elisos: Dominus diligit iustos.
Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.
Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion: in generationem & generationem.

Requi-

Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requieſcāt in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

In die depoſitionis Defuncti. Oratio.

ABſolue, quæſumus Domine, animam famuli tui, vel famulæ tuæ, vt defunctus, vel defuncta, ſæculo tibi viuat: & quæ per fragilitatem carnis humana couuerſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Vel,

DEvs cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere; te ſupplices exoramus pro anima famuli tui N. vel famulæ tuæ, quam hodie de hoc ſæculo migrare iuſſiſti: vt non tradas eam in manus inimici, neq; obliuiſcaris in finem; ſed iubeas eam à ſanctis Angelis ſuſcipi, & ad patriam Paradiſi perduci: vt quia in te ſperauit, & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia æterna poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

In die tertio, ſeptimo, & trigeſimo, depoſitionis defuncti. Oratio.

QVæſumus Domine, vt animæ famuli tui N. vel famulæ tuæ, cuius depoſitionis diem tertium, vel ſeptimum, vel trigeſimum commemoramus, ſanctorum, atq; electorum tuorum largiri digneris conſortium: & rorem miſericordiæ tuæ perennem infundas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

In Anniuerſario. Oratio.

DEvs indulgentiarum Domine, da animæ famuli tui, vel famulæ tuæ, vel animabus famulorum, famularumq; tuarum, cuius,

cuius, vel quorum Anniuersarium depositionis diem commemoramus, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aliæ Orationes diuersæ pro Defunctis.

Pro Summo Pontifice defuncto. Oratio.

DEvs, qui inter Summos Sacerdotes, famulum tuum N. ineffabili tua dispositione cõnumerari voluisti: præsta quæsumus, vt qui vnigeniti Filij tui vices in terris gerebat, Sanctorum tuorum Pontificum consortio perpetuò aggregetur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pro defuncto Episcopo. Oratio.

DEvs, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum Pontificali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus, vt eorumquoq; perpetuo aggregetur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerint plures, dicatur in numero plurali.

Pro Episcopo Cardinali defuncto, dicatur: famulum tuum N. Episcopum Cardinalem, Pontificali fecisti dignitate, &c.

Pro Presbytero Cardinali defuncto, dicatur: famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem, Sacerdotali fecisti, &c.

Pro Diacono autem Cardinali, dicitur Oratio. Inclina Domine. quæ habetur paulò infrà, hoc modo: vt animam famuli tui N. Diaconi Cardinalis, quam de hoc sæculo, &c.

Pro defuncto Sacerdote.

DEvs, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum Sacerdotali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus, vt eorumquoque perpetuo aggregetur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Vel,

Præsta

PRæsta, quæsumus Domine, vt anima famuli tui N. Sacerdotis, quem in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorâsti, in cœlesti sede glorioſa ſemper exultet. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Pro Patre & Matre. Oratio.

DEvs, qui nos patrem, & matrem, honorare præcepiſti, miſerere clementer animabus patris ac matris meæ, eorumq; peccata dimitte, meq; eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si fit pro pluribus, dicatur: animabus parentum noſtrorum, & vbi dicitur, meque, dicatur, noſque. Si pro patre tantum: animæ patris mei, vel noſtri. Si pro matre tantùm, dicatur: animæ matris meæ, vel noſtræ.

Pro vno defuncto. Oratio.

INclina Domine, aurem tuam, ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur: vt animam famuli tui, quam de hoc ſæculo migrare iuſſiſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum iubeas eſſe conſortem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Pro vna defuncta. Oratio.

QVæsumus Domine, pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ: & à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ ſaluationis partem reſtitue. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefact. Oratio.

DEvs veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator: quæſumus clementiã tuam, vt noſtræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt; beata Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Pro fidelibus defunctis generalis Oratio.

FIdelium Deus, omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

AD MATVTINVM,

Inuitatorium.



In primo Nocturno, Antiph.



Psalmus 5.

V erba

VErba mea auribus percipe Domine: intelligè clamorem meum.
Intende voci orationis meæ: rex meus, & Deus meus.
Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam.
Mane astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.
Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.
Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.
Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.
Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.
Domine deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.
Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.
Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: iudica illos Deus.
Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine.
Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.
Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto.
Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ: coronasti nos.
Equum, &c.

Ant.

Quæ re- Domine, & eripe animam meam



E uouae.

Psalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

MIserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

ET anima mea turbata est valdè: sed tu Domine vsquequo?

CONuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

QUoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

LAborauiin gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

TURbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

DIscedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

EXaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

ERubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valdè velociter.

Gloria Patri, &c.

NE quan-

Antiph:



EUouae. Psalmus 7.

DOmine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

NE quando rapiat vt leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.

DOmine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

SI reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

PErsequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in puluerē deducat.

EXurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorū meorū.

ET exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti: & synagoga populorum circumdabit te.

ET propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.

IUdica me Domine secundùm iustitiam meam: & secundùm innocentiam meam super me.

CONsumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum: scrutans corda & renes Deus.

IUstum adiutorium meū à Domino: qui saluos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis, & patiens? nunquid irascitur per singulos dies?

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit: arcum suum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturijt iniustitiam: cōcepit dolorem, & peperit iniquitatē.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor Domino secundùm iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi.

Requiem æternam, &c.

℣. Aporta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.

Pater noster. totum secretò. Lectiones leguntur sine absolutione, Benedictionibus, & Titulo.

Lectio I. *Iob 7.*

PArce mihi Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subitò probas illum. Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam? Peccaui: quid faciam tibi, ô custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam. Lectiones terminantur sine Tu autem, vel alia conclusione.

Responsorium.

Redo quod redemptor meus

viuit:


vi uit: & in no uiſſimo di-
e de terra ſur re cturus
ſum. Et in carne me a vide bo De-
um Saluato rem
me um. ℣. Quem viſurus ſum
e go ipſe, & non a
& o culi me i con ſp



sunt. Et in carne.

Lectio II. *Iob 10.*

TÆdet animam meam vitæ meæ: dimittam aduersum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices? Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues? Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit eruere.

Responsorium.



VI La zarum re susci-

sti à monumen to fœ tidum.

Do mine dona re quiem

& locum indul gen tiæ, ℣. Qui venturus



Lectio III. *Iob 10.*

MAnus tuæ Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me ? Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonnè sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti ? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.

Responsorium.




vul tu iræ tu æ? Quia
pec caui nimis in vita me-
a. ℣. Commissa me a


pa ue sco, & ante te e ru be sco: dum
ve neris iudica re, noli me con-


demna re. Quia. ℣. R equi-
em æ ternam dona e is
Domine,



In secundo Nocturno, Antiphona.



DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.

SUper aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.

DEduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.

NAm & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

VIrga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

PAraſti in conspectu meo mensam: aduersus eos qui tribulant me.

IMpinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est!

ET misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

ET vt inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

REquiem æternam dona eis Domine.

ET lux perpetua luceat eis.

Antiph.



Psalmus 24.

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: superuacuè.

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt.

Delicta iuuentutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.

Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas: requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit.

Anima eius in bonis demorabitur: & semen eius hæreditabit terrā.
Firmamentum est Dominus timentibus eum. & testamentum ipsius vt manifestetur illis.
Oculi mei semper ad Domiuum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.
Respice in me, & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego.
Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.
Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea.
Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt: & odio iniquo oderunt me.
Custodi animam meam, & erue me: non erubescam, quoniam speraui in te.
Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.
Libera Deus Israel: ex omnibus tribulationibus suis.
Requiem æternam, &c.

Antiph.



Psalmus 26.

DOminus illuminatio mea & salus mea: quem timebo?
Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?
Dum appropiant super me nocentes: vt edant carnes meas.
Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.
Si consistant aduersum me castra: non timebit cor meum.

Si exurgat aduersum me prælium: in hoc ego sperabo.

Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Vt videam voluptatem Domini: & visitem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.

Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Ne auertas faciem tuam à me: ne declinas in ira à seruo tuo.

Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini: in terra viuentium.

Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Requiem æternam, &c.

℣. Collocet eos Dominus cum principibus.

℟. Cum principibus populi sui.

Pater noster. totum secretò.

Lectio IV. *Iob 13.*

Respondeo

REsponde mihi: quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea, & delicta, ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

Responsorium.





Lectio V. Iob 4.

me am. Nec aſpi ciat.

HOmo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonnè tu qui ſolus es? breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, vt quieſcat donec optata veniat, ſicut mercenarij dies eius.

Reſponſorium.



Ei mi hi Do mine, quia pec ca- ui ni mis in vita me a: Quid faciam miſer? v bi fu giam, niſi ad te Deus me us? Miſe rere me i, dum veneris



Lectio VI. *Iob 14.*

QVis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putas ne mortuus homo rurſum viuat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti: ſed parce peccatis meis.

Reſponſorium.



T


a Do mine: Dum
ve neris iudica re, ſæ cu-
lum per i gnē. ℣. Di rige
Do mine Deus me us in con-
ſpectu tu o vi am me am.
Dum ve neris. ℣. Re quiem æ-
ter nam dona eis Do mine, & lux
perpe-



In tertio Nocturno. Antiph.



EXpectans expectaui Dominum: & intendit mihi.
Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.
Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos.
Et immisit in os meum canticum nouum: carmen Deo nostro.
Videbunt multi, & timebunt: & sperabunt in Domino.
Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.
Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.
Annuntiaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numer
Sacrificium, & oblationem noluisti: aures autem perfecist
Holocaustū & pro peccato non postulasti: tunc dixi; Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine, ne longe facias miserationes tuas à me: misericordia tua, & veritas tua, semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice.

Confundantur & reuereantur simul qui quærunt animam meam: vt auferant eam.

Conuertantur retrorsum, & reuereantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper; Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.

Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Ana Domine animam meam, quia peccaui tibi.

Euouae.



Psalmus 40.

E uouae.

BEatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

Ego dixi; Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen eius.

Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem ſibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipſum.

Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: aduerſum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me: Numquid qui dormit, non adijciet vt reſurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui: qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.

Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me: & retribuã eis.

In hoc cognoui, quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo, & vſque in ſæculum: fiat, fiat.

Requiem æternam dona eis Domine, &c.

Antiph.

Ant.



Psalmus 41.

Euouae.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie; Vbi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonijm à monte modico.

Abyssus abyssum inuocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transierunt.

In die mandauit Dominus misericordiam suam; & nocte canticum eius.

Apud

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo; Susceptor meus es. Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Requiem æternam, &c.

℣. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Pater noster. totum secretò.

Lectio VII. *Iob 17.*

Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus. Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientia mea? Tu es Domine Deus meus.

Responsorium.





Lectio VIII. *Iob 19.*

PElli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Respon-

Responsorium.





Lectio IX. *Iob 10.*

QVare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Responsorium.




sti, & vi sita sti infernum,
& dedisti eis lu men, vt viderent
te Qui e rant in pœnis tene-
bra rum. ℣. Cla-
mantes & dicen tes: aduent sti re-
dẽptor no ster. Qui erant. ℣. equiem a
ternam dona e is Do mine, & lux perpe tua



Aliud Responsorium, videlicet, Libera me Domine de morte. quod dicitur in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando dicuntur nouem Lectiones, require fol: 114.

AD LAVDES,

absolutè incipit Antiphona.



Psalmus 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votũ in Ierusalẽ.
Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba

V erba iniquorum præualuerunt ſuper nos : & impietatibus noſtris tu propitiaberis.
B eatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti : inhabitabit in atrijs tuis.
R eplebimur in bonis domus tuæ : ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.
E xaudi nos Deus ſalutaris noſter : ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.
P ræparans montes in virtute tua, accinctus potentia : qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.
T urbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis : exitus matutini & veſpere delectabis.
V iſitaſti terram, & inebriaſti eam : multiplicaſti locupletare eam.
F lumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum : quoniam ita eſt præparatio eius.
R iuos eius inebria, multiplica genimina eius : in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.
B enedices coronæ anni benignitatis tuę : & campi tui replebuntur (vbertate.
P ingueſcent ſpecioſa deſerti : & exultatione colles accingentur.
I nduti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent.
R equiem æternam, &c.



E uouae.

DEvs Deus meus: ad te de luce vigilo.
Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.
In terra deserta, & inuia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.
Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.
Sic benedicã te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.
Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.
Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuisti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.
Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.
Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalmus 66.

DEvs misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.
Vt coguoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.
Benedicat nos Deus, Deus noster: benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Requiemæternam, &c.



nimam meam. E uouae.

Canticum Ezechiæ. *Isaiæ 38.*

EGo dixi; In dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi. Quæsiui residuum annorum meorum: dixi; Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.

Non aspiciam hominem vltra: & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me: quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me: de mane vsque ad vesperam finies me.

Sperabam vsque ad mane: quasi leo sic contriuit omnia ossa mea

De mane vsq; ad vesperam finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati sunt oculi mei: suspicientes in excelsum.

Domine vim patior, responde pro me: quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.

Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam vt non perirem: proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Domine saluum me fac: & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam, &c.

Ant.

OMnis spiritus laudet Dominum. Euouae.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eũ omnes virtutes eius.
Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.
Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.
Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.
Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.
Bestiæ, & vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.
Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.
Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus, laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.
Confessio eius super cœlum & terram: & exaltauit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis eius: filijs Israel, populo appropinquanti sibi.

Psalmus 149.

CAntate Domino canticum nouum: laus eius in Ecclesia sanctorum.
Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultẽt in rege suo.
Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.
Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

Exulta

Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.
Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.
Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.
Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.
Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.
Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.
Laudate eũ in tympano & choro: laudatè eũ in chordis & organo.
Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.
Requiem æternam, &c.

℣. Audiui vocem de cælo dicentem, &c.
℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ad Benedictus Antiphona.





nis qui viuit & credit in me, non morietur in

æternum. Euouae.

Canticum Zachariæ. *Luc: 1.*

BEnedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui à sæculo sunt, prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omniũ, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum: datum se nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: seruiamus illi.

In sanctitate & iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem æternam dona eis Domine, &c.

Deinde

Deinde Pater noster. Psalmus, De profundis, fol: 124. cum Precibus & Orationibus Officio congruentibus, vt supra in Vesp: fol: 127.

De Officio faciendo in Exequijs, absente corpore defuncti, & in die tertio, septimo, trigesimo, & anniuersario.

SI faciendæ sint exequiæ absente corpore eo die, quo bene visum fuerit, in Ecclesia dicatur Officium mortuorum, cum tribus Nocturnis & Laudibus, & Antiph: duplicatis, vel saltem vnum Nocturnum cum tribus Lectionibus, & Laudibus, & Missa. Post Missam celebrans deponit manipulum, & planetam, accipit pluuiale nigri coloris, & præcedentibus Subdiacono cum Cruce, & Clero, & duobus Ceroferarijs cum luminibus accensis, & duobus Acolythis, vno cum nauicula incensi & thuribulo, & altero cum vasculo aquæ benedictæ, & aspersorio, & hoc libro Rituali accedit cum Diacono à sinistris ad locum tumuli, & ibi à circumstante Clero cantatur Respons: Libera me Domine, &c. vt supra, Interim ministratur incensum, benedicitur, & imponitur in thuribulum. Postea dicitur Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Sacerdos dicit, Pater noster, &c. & dum secretò dicitur, accipit aspersorium, circuit tumbam aspergens; deinde incensat eodem modo, vt dictum est. Postea dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobicum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ABsolue, quæsumus Domine, animam famuli tui, vel famulæ tuæ, vt defunctus vel defuncta sæculo tibi viuat; & peccata, quæ per fragilitatem carnis humanæ conuersatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Vel dicatur Oratio, quæ dicta est in Missa, vel alia conuenientior.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

Si officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio, & Versus, dicantur in plurali numero: si fuerit mulier, in genere fœmineo: si fuerit Sacerdos vel Episcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis, &c.

Prædictus autem Officij ritus pro defunctis adultis, tam Sacerdotibus & Clericis, quàm secularibus, & laicis, seruari debet in officio sepulturæ in die depositionis, siue in die tertio, septimo, trigesimo, & anniuersario.

De Exequijs paruulorum.

INprimis admonendi sunt Parochi, vt iuxta vetustam, & laudabilem Ecclesiarum consuetudinem paruulorum corpuscula non sepeliantur in communibus, & promiscuis cæmeteriorum & Ecclesiarum sepulturis; sed vt pro illis in Parochialibus Ecclesijs, aut illarum cæmeterijs, quatenus commodè fieri potest, speciales, & separatos ab alijs loculos, & sepulturas habeant, seu fieri curent; in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt.

In funere paruulorum, vt plurimum non pulsantur campanæ: quod si pulsentur non sono lugubri, sed potiùs festiuo pulsari debent.

Ordo sepeliendi Paruulos.

CVm igitur infans, vel puer baptizatus defunctus fuerit ante vsum rationis, induitur iuxta ætatem, & imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis & odoriferis, in signum integritatis carnis, & virginitatis; & Parochus superpelliceo & stola alba indutus, & alij de Clero, si adsint, præcedente Cruce, quæ sine hasta deferatur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico aspersorium deferente, Sacerdos aspergit Corpus, deinde dicit:



In nomen Domini Euouae.

Psalmus 112.

Laudate

℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣ remus.

OMnipotens, & mitissime Deus, qui omnibus paruulis renatis fõte Baptismatis dum migrant à sæculo, sine vllis eorum meritis vitam illico largiris æternam: sicut animæ huius paruuli hodie credimus te feciſſe, fac nos, quæsumus Domine, per interceſſionẽ Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hìc purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso cum beatis paruulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Dum portatur ad tumulum & etiam si tunc non portetur dicitur.

Ant.

I u uenes & virgines. E nouae.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, &c. vt supra fol. 160. & in fine Gloria Patri, &c. Et repetitur Antiphona.



I u uenes & virgines, senes cum iunioribus lau-

dent nomen Domini.

K yrie eleison. C hriste eleison. K yrie eleison. P ater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Sinite paruulos venire ad me. ℟. Talium est enim regnum cœlorum. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, sanctæ puritatis amator, animam huius paruuli ad cœlorum regnum hodie miseriditer vocare dignatus es: digneris etiam Domine, ita nobiscum misericorditer agere, vt meritis tuæ sanctissimæ Passionis, & intercessione Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis, & electis tuis, semper facias congaudere. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Deinde Sacerdos corpus aspergat aqua benedicta, & thurificet similiter & tumulum, postea sepeliatur.

Cum autem à sepultura reuertuntur in Ecclesiam, dicatur

Ant.

Canticum trium puerorum. *Dan: 3.*

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Bene

Benedicite ignis & æstus Domino : benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino : benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & niues Domino : benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino : benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cæte, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino : benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino : benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum : laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino : benedicite serui Domini Domino.

Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino : benedicite sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael, Domino : laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu : laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli : & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

Antiphona.



Deinde ante Altare dicit Sacerdos. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PArochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, primùm cognoscat ex his ad quos spectat, qui & quales sint, qui matrimonium contrahere volunt; an inter eos sit aliquod Canonicum impedimentum: Vtrum sponte, liberè, & secundùm honestatem Sacramenti velint contrahere: Vtrum sint in ætate legitima; vt vir saltem quatuordecim, mulier verò duodecim annos expleuerit, & vterq; sciat rudimenta fidei, cùm ea deinde filios suos docere debeant.

Nouerit ex probatis authoribus, quæ sint Canonica impedimenta Matrimonij contrahendi, & quæ contractum dirimant: & qui sint gradus consanguinitatis, & affinitatis: & item cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractæ.

Habea

Habeat inprimis ipse bene cognita præcepta illa omnia, quæ in matrimonijs ritè conficiendis seruari oportere, Sacri Canones, & præcipuè sancta Synodus Tridentina iussit; dabitq; operam, vt in illa Parochia sua accuratè exactèq; seruẽtur.

Præsertim verò meminerit, matrimonia inter raptorem & raptam, dum ipsa in potestate raptoris manserit, inita, nec non clandestina, & quælibet matrimonia, quæ aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilij decretis irrita omninò ac nulla esse.

Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cuius Parochia Matrimonium celebratur, siue viri, siue mulieris.

Caueat præterea Parochus, ne facilè ad contrahendum matrimonium admittat vagos, & peregrinos, & qui incertas habent sedes: neq; item eos, qui antea coniugati fuerunt; vt sunt vxores militum, vel captiuorum, vel aliorum qui peregrinantur, nisi diligenter de ijs omnibus facta inquisitione, & re ad Ordinarium delata, ab eoq; habita de huiusmodi matrimonij celebrandi licentia, quæ gratis concedatur.

Antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis, in Ecclesia intra Missarum solennia ad ipsius Concilij præscriptum publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.

Si verò vir & mulier Parochiæ sint diuersæ, in vtraq; Parochia fiant denunciationes: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij procedatur. Sed si quid obstat, vltra Parochus non procedat.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi, & matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes: tunc de licentia Ordinarij, vel vna tantùm fiat denunciatio, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegant, nisi aliter Ordinarius ipse expedire iudicauerit.

Has autem denunciationes Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de vtriusq; contrahentis libero consensu sibi bene constet.

Si verò infra duos Menses, post factas denunciationes, matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

Denunciationes autem fiant hoc modo: Inter Missarum solennia Parochus

populum admoneat in hanc sententiam, vulgari sermone.

Notum sit omnibus hîc præsentibus, quòd N. vir, & N. mulier, ex tali vel tali familia, & Parochia, Deo adiuuante, intendunt inter se contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes & singulos, vt si quis nouerit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quoduis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum inuicem impediat, illud quamprimùm nobis denunciare debeat; & hoc admonemus primò, si fuerit prima; vel secundò, si fuerit secunda; vel tertiò, si fuerit tertia denunciatio.

Moneat Parochus coniuges, vt ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consumment, nec etiam simul maneant; nisi aliquibus propinquis, vel alijs præsentibus: quæ benedictio à nullo alio, quàm ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia fieri debet.

Caueat etiam Parochus, ne quando coniuges inprimis nuptijs benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, siue mulier, siue etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed vbi ea viget consuetudo, vt si mulier nemini vnquam nupserit, etiamsi vir aliam vxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea seruanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi eius vir nunquam vxorē duxerit.

Matrimonium in Ecclesia maximè celebrari debet, sed si domi celebratum fuerit, præsente Parocho & testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi; & tunc caueat Sacerdos, ne iterum à contrahentibus consensum exigat, sed tantùm benedictionem illis conferat, celebrata Missa, vt infra dicetur.

Admoneantur præterea coniuges, vt antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimam Eucharistiam, atq; ad Matrimonij Sacramentum suscipiendum piè accedant, & quomodo in eo rectè & Christianè conuersari debeant, diligenter instruantur ex Diuina scriptura, exemplo Tobiæ & Saræ, verbisq; Angeli Raphaelis eos edocentis, quàm sanctè coniuges debeant conuiuere.

Postremò meminerint Parochi, à Dominica prima Aduentus, vsq; ad diem Epiphaniæ; & à feria quarta Cinerum, vsq; ad octauam Paschæ inclusiuè, solennitates nuptiarum prohibitas esse: vt nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare conuiuia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiæ verò quâ decet modestia, & honestate fiant: sancta enim res est matrimonium, sanctèq; tractandum.

Quæ

Quæ omnia ferè ex Sacri Concilij Tridentini decretis desumpta, & item alia, quæ ibi de matrimonio ritè contrahendo præcipiuntur, sunt diligenter seruanda.

Ritus celebrandi Matrimonij Sacramentum.

PArochus igitur Matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus festis, vt dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia superpelliceo & alba stola indutus, adhibito vno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum & vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat coram tribus aut duobus testibus, virum & mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet. Moneat inprimis coniuges de dignitate ac fructu huius Sacramenti ac de officijs coniugum, idq; breuiter, & cum facilitate sermonis, ad ædificationem audientium.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Statuat Sponsum ad dexteram suam, sponsam ad sinistram, vt è regione se aspiciant ad inuicē, & quærat de nomine sponsi & sponsæ hoc modo:

N. Habesnè bonam & non coactam voluntatem, animumq; benè deliberatum contrahendi Matrimonium cum N. quam cernis præsentem. Resp. Habeo.

N. Fatere, si non spopondisti fidem matrimonij cuipiam alteri, præter illam? Resp. Non spopondi.

Polonicè. N. Maß dobrą á nie przymußoną wolą y poſtánowiony vmyſł/ te N. ktorą tu przed ſobą widźiß / zá małżonkę ſobie pojąć? Resp. Mam.

N. Nie ślubowałżeś ktorey inßey wiáry małżeńſkiey? Respon. Nie ślubował.

Germanicè. Jſt es nun dein frewer vngezwungener oder vngenötigter will/ vnd deine wolbedachte meinunge / dieſen N. hie gegenwertig/ für deinen Eheliches weib anzunemen? Resp. Ja.

N. Haſtu auch einer andern deine ehelihe trew zugeſagt? Resp. Nein.

Deinde similiter interroget sponsam.

Latinè. Eodem modo tu N. habesnè bonam & non coactam volun-

tatem, animumq; benè deliberatum contrahendi Matrimonium cum N. quem cernis præsentem. Resp. Habeo.

N. Fatere, si non præstitisti fidem matrimonij cuipiam alteri, præter illum? Resp. Non præstiti.

Polonicè. Tákże y ty N. maß też dobrą á nie przymußoną wolą tego N ktorego przed sobą widźiß zá małżonká sobie poiąć?

Resp. Mam.

N. Nie ślubowałáżeś komu innemu wiáry małżeńskiey?

Resp. Nie ślubowálá.

Germanicè. N. Jst es auch dein vngedrungener oder vngenötigter wille/vnd deine wolbedachte meinunge/diesen N. hie gegenwertig/ für deinen ehelichen man anzunemen. Resp Ja.

N. Hastu auch einem andern die eheliche trew zugesagt.

Resp. Nein.

Vtroq; illud affirmante, hoc verò negante, dicat Sacerdos:

Augeat in vobis Deus gratiam suam: & quod dicitis ore, opere impleatis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Loco arrharum, quas alibi solent sibi inuicem tradere sponsi, accipiat ab eis Sacerdos annulos, ad hoc præparatos; vel si desunt, tunc serta seu coronas: & tenendo ea simul, sic benedicat:

Oremus.

CReator & conseruator generis humani, dator gratiæ spiritualis, conditor æternæ salutis: quæsumus, benedicere ✠ digneris hos annulos (vel has coronas) quos (vel quas) nos in nomine tuo sancto benedicimus: vt qui eos (vel eas) portauerint, in tua pace consistant, in tua voluntate permaneant, & in tuo amore viuant, crescant, & senescant, atq; multiplicentur in longitudinem dierum. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. ℟ Amen.

Mox aspergat annulũ aqua benedicta in modum crucis. Deinde annulũ sponsæ imponat in digitum dextrum penultimum sponsi, & è conuerso. Similiter & coronas commutando, dicit Sacerdos singillatim vtrique.

Accipe annulum (coronam) fidei matrimonialis, in nomine Sanctissimæ Tri-

simæ Trinitatis; vt illum (illam) portans armeris virtute cælestis defensionis, & proficiat tibi ad salutem æternam.

Postea iubeat illos iungere dextras, quas Minister inuoluat extremitate stolæ in formam crucis, & verba sequentia de præsenti, quæ Matrimonium constituunt, iubeat singulos eorum se præeúte integrè & charè dicere

Priùs ergo dicat Sponso.

Ego N. recipio te N. mihi in vxorem: & sanctè spondeo tibi amorem, fidem, & honorem coniugalem: & quòd te non dimittam, donec vixero: sic me Deus adiuuet, & omnes Sancti eius.

Polonicè. Mow zá mną. Ja N. biorę sobie ćiebie N. zá małżonkę: y ślubuieć miłość / wiárę / y vczćiwość małżeńską: á iż ćię nie opuszcze áż do śmierći. Ták mi pomoż Pánie Boże wszechmogący w Troycy iedyny / y wszyscy Swieći.

Germanicè. Sprich mir nach. Jch N. neme dich N. mir zu einen ehelichen Weybe: vnd gelobe dir / die lieb / die trew / vnd die ehre: dich auch nicht zuverlassen / bis vns der Todt scheidet: so war als mir Gott helff / vnd alle seine liebe Heiligen.

Deinde similiter dicat ad Sponsam.

Ego N. recipio te mihi in maritum: & sanctè spondeo tibi amorem, fidem, honorem, & obedientiam coniugalem, & quòd te non dimittam donec vixero: sic me Deus adiuuet, & omnes Sancti eius.

Polonicè. Mow zá mną. Ja N. biorę sobie ćiebie N. zá małżonká; y ślubuieć miłość / wiárę / vczćiwość / y posłuszeństwo małżeńskie: á iż ćię nie opuszcze áż do śmierći. Ták mi pomoż Pánie Boże wszechmogący / w Troycy iedyny / y wszyscy Swieći.

Germanicè. Sprich mir nach. Jch N. neme dich N. mir zum ehelichen Mann: vnd gelobe dir die liebe / die trew / die ehre / vnd gehorsam: dich auch nicht zuverlassen / bis vns der Todt scheidet: so war als mir Gott helff / vnd alle seine liebe Heiligen.

Deinde alloquatur astantes.

Vos qui præsentes adestis, in testes assumo, si quando opus fuerit, vt reddatis testimonium, præsens matrimonium inter personas istas esse legitimè peractum, & ab Ecclesia ratificatum.

Polonicè. Was / ktorzy ſie temu przyſłuchaćie / biore ná świádectwo / ieſliby go kiedy było potrzebá / ábyśćie ie o dobrowolnym y porządnym tego małżeńſtwá ſkończeniu wydáli.

Germanicè. Jhr / die allhier gegenwertig ſeid / neme ich an zum zeugnus: auff das / ſo es etwan von nöten / würde / ir Zeugen ſein möcht / das dieſe gegenwertige Ehe / zwiſchen dieſen perſonen volkömlich vollzogen / vnd von der Kirchen beſtetiget ſey worden.

Poſtea dicat Sacerdos.

Quos ergo Deus coniunxit, homo no ſeparet. Et ideo matrimonium inter vos contractum, ego authoritate Eccleſiæ Catholicæ confirmo & benedico: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Deinde dicat, Oremus.

PRopitiare, quæſumus Domine, ſupplicationibus noſtris, & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinâſti, benignus aſſiſte: vt qui te authore iunguntur, te auxiliante ſeruentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.

Notandum, ſi ſponſa non fuerit vidua, vel inprimis nuptijs benedicta, benedictio nuptiarum Canonica (nequaquam iteranda, ſub pœna ſuſpenſionis) fit in Miſſa de Sponſo & ſponſa, ex Miſſali Romano. Quod ſi hæc Miſſa non præceſſit, Sacerdos ſequentem benedictionem det ſponſis genuflexis, vt ſequitur. Inprimis dicat Pſalmum 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius.
Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.
Filij tui ſicut nonellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ.
Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Ieruſalem, omnibus diebus vitæ tuæ.

Et vi-

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, &c.

℣. Saluos fac seruum & ancillam tuam.
℟. Deus meus sperantes in te.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui primos parentes nostros, pia societate copulâsti: benedic & sanctifica istos tui Sacramenti fœdere desponsatos, & semina in eis semen vitæ æternæ. Corda eorum tui sancti Spiritus munda infusione, & sinceri amoris copules nexu perpetuo. Angeli pacis comitante à mortifera Dæmonum infestatione eos custodias: & omnes mentis & corporis aduersitates ab eis repellas: vt munimine tuo protecti, & te donante, deuotè laudent nomen sanctum tuum, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob sit vobiscum: & ipse adimpleat benedictionem suam in vobis: vt videatis filios filiorum vestrorum, vsq; ad tertiam & quartam generationem, & postea vitam æternam habeatis sine fine, in sæcula sæculorum. Am.

Demùm concludat vt supra. Et benedictio Dei omnipotentis.

Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in libro Matrimonium, nomina coniugum & testium, & alia, iuxta formulam in fine libri huius præscriptam; idq; licet alius Sacerdos vel à se, vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebrauerit.

Benedictio nouæ nuptæ post nuptias.

Sacerdos superpelliceo & stola indutus, muliere Ecclesiam ingressa, quam tamen ipse per tactum stolæ non introducat, det ei benedictionem ante altare si voluerit, post velante aut[illegible]illam, in ea celebrata fuerit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde dicat Psalmum 39. Deus misereatur nostri, vt supra fol: 158 & Psalmum 127. Beati omnes qui timent Dominum, vt supra, fol: 176

Postea iubeat fœminam cum socijs, si adsunt, genuflectere: & ipse stans dicat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRætende Domine, famulæ tuæ, dexteram cœlestis auxilij: vt toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, consequi mereatur. Per Dominum, &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, creator cœli & terræ, qui omnia de nihilo creâsti, quiq; Adam protoplastum de limo terræ formâsti, & Euam illi in adiutorium dedisti, eisq; benedixisti, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Ne respicias ad peccata nostra, sed ad fidem Ecclesiæ tuæ: Et bene ✠ dicere digneris hanc famulam tuam, vnà cum marito suo: Et da ei fœcunditatem sobolis, atq; de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam. Benedic eis, tam in domibus, quàm in agris, & vbique in iumentis & pecoribus, omniq; possessione, & re familiari.

tande

tandem omni pietate, castitate,& morum honestate ornatos,intimore tuo,perduc eos ad vitam æternam Per Christum Dominum nostrum. Amen. Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus sancti ✠ descendat super te,& maneat sẽper.

Postremò aspergens illam Aqua benedicta, dicat:

Per huius Aquæ aspersionem, det tibi Dominus gratiam & benedictionem.

Quæ surgens offerat Sacerdoti quod sibi placet, & reuertatur domum (in pace.

De Benedictione mulieris post partum.

SI qua puerpera post partum iuxta piam ac laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritq; à Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo & stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente ad fores Ecclesiæ accedat, vbi illam foris ad limina genuflectentem, & candelam accensam in manu tenentem,aqua benedicta aspergat, deinde dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino. Psalmus. Domini est terra & plenitudo eius. totus vt supra fol: 165.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, eam introducit in Ecclesiam dicens:

Ingredere in templum Dei, adora Filium Beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

Et ipsa ingressa genuflectit coram Altari, & orat, gratias agens Deo pro beneficijs sibi collatis: & Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluam fac ancillam tuam Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per Beatæ Mariæ Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti: respice propitius super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem: & præsta, vt post hanc vitam eiusdem Beatæ Mariæ meritis & intercessione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole sua peruenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde illam aspergit iterũ Aqua benedicta, in modum Crucis, dicens:

Pax & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.

Appendix ad administrationem Sacramentorum, pro ruralioribus, ex vsu Prouinciæ.

CATECHESIS.

DE MATRIMONIO.

CVm Deus bonitatem suam longè lateq; diffundere vellet, mundum hunc pulcherrimum cælo terraq; constantem è nihilo creauit: cumq; cælum sole, luna, & stellis, terram herbis, arboribus, & innumeris animalium terrestrium, aquatilium, & volucrium generibus

exor-

exornasset, ad extremum hominem de limo terræ effictum, tanquam Patremfamilias domui, & omnibus illis Dominum imposuit: & vt perpetuus hic esset ornatus in rebus ijs, quæ æternæ non sunt, procreandi vim & appetitum animantibus inseuit. Discrimen tamen ingens in eo quoq; sicut in multis alijs, inter hominem & cætera animantia esse voluit. His enim ratione carentibus, & vsui humano seruitutis vagos & promiscuos indulsit concubitus: homini verò vni vnam vitæ sociam de costa lateris eius condidit, & certo firmoq; fœdere iunctam in manum tradidit: quo sic ij duo consociati vagas libidines vitarent, certam posteritatem susciperent, & communibus studijs educarent, mutuisq; operis & conuictu assiduo se inuicem adiuuarent, & vitam suauiorem sibi redderent. Et quo hæc omnia feliciorem progressum haberent, benedixit eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Sic igitur Deus ab initio generis humani in Paradiso Matrimonium instituit, vitæ commodis & certæ honestæq; hominum propagationi, mundiq; perpetuæ administrationi prouidens. Cui longè post demum per Filium suum vnigenitum, Dominum & Magistrum nostrum Iesum Christum, siue per Apostolos eius, in Nouo Testamento Sacramenti religionem & sanctitatem adiunxit: vt quod in lege naturæ, & Mosaica, & in Paganismo Sacramentum non fuit, nunc sit in lege gratiæ, ad exemplum eius coniugij, quod est inter Christum & Ecclesiam: constringanturq; in eo coniuges per ministerium Sacerdotis indissolubili vinculo (quale apud Iudæos & Paganos non fuit) vna caro effecti, & gratiæ Dei participes fiant: qua pudicè, seipsis inuicem contenti, & concordes amanter inter se vitam transigant: atq; ita peccatis minus obnoxij, & concupiscentiæ in membris suis subinde erumpentis, libidinosiorumque etiam congressuum veniam habentes, expeditius vitam æternam adipiscantur. Cùm igitur tale hoc sit Sacramentum, & gratiam Dei beneficio conferat ijs, qui reuerenter & pio bonoq; proposito ad id accedunt; vos quoq; duos sic accedere oportet, vt non solùm Sacramentum, sed etiam fructum Sacramenti percipiatis: & vobis quoq; Deus benedicat, sicut primis progenitoribus nostris in paradiso, sicut Abrahæ cum Sara, Isaaco cum Rebecca, Tobiæ cum alia Sara benedixit. Reuerenter autem accedetis: si non in concupiscentia, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, sed cum timore Dei in Ecclesia Catholica (extra quam Sacramenta aut nõ sunt omninò, aut efficacia non sunt) accedatis, & coniungamini eo quidem pro-

dem propoſito, vt vna caro facti in omni conuictu & cohabitatione, quàm arctiſſimè vos inuicem ametis & adiuuetis: complexu verò coniugali ad ſobolem in gloriam Dei procreandam atq; educandam, vel ad remedium incontinentiæ titillantiſq; libidinis non ſine verecundia vtamini. In quo ille vobis modus adhibendus eſt, ſecundùm Apoſtolica præcepta; vt non impediantur orationes veſtræ, & mentium ad Deum eleuatio: qui præcipuus eſſe debet omnis vitæ humanæ ſcopus. Cui, cùm propter infirmitatem hominum & curas huius vitæ certa præſtituta ſint tempora, & ſacri quidam dies in Eccleſia Catholica; eorum ratio vobis habenda erit. Illud autem meminiſſe vos oportet; quòd indiſſolubili vinculo coniungemini: nec vterq; veſtrum viuente altero vel altera, aliud Matrimonium inire poterit: & neuter veſtrum deinceps corporis ſui poteſtatem habebit, vt Pauli eiuſdem verbis vtar; ſed vxor viri, & vir vxoris. Atq; ob id vterque alteri pudicum, integrum, ac impollutum id ſeruare debebit: ita vt non modo nihil cum alterius iniuria delinquat (quod in viro iuxta ac in muliere adulterium eſt Deo deteſtabile) verùm etiam ſiniſtras ſuſpiciones alterius, quantum in ipſo vel ipſa eſt, ſedulò vitet. Zelotypia tamen & amaritudo inter vos locum habere non debet. In hac autem ſocietate vitæ coniugalis nonnullam Deus vult eſſe inæqualitatem; quòd cùm vxorem de viri latere finxiſſet, caput eius & moderatorem virum conſtituit. Ait enim ad Euam: Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Quod itidem Paulus mulieribus præcipit. Petrus autem etiam exemplis ad id eas inuitat. Sic enim, inquit, aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubiectæ proprijs viris ſicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Quas tu quoq; (puellam alloquatur) ſedulò imitari, virumq; hunc tuum reuereri & honore proſequi, & in omnibus (præterquàm ſi te à recta fide & Eccleſia Catholica ſeducere vellet) ei obſequi debebis; ſi Deo placere, ſicut illæ placuerunt, & præcepto eius obtemperare voles, ita vt debes. Tu verò fili (virum alloquatur) ob id vxorem tuam non habebis contemptui, quia Deus eam tibi ſubiecit: verùm diliges eam vt ſociam, & vt tuum ipſius corpus, & ſicut Chriſtus Eccleſiam dilexit, pro qua etiam ſeipſum tradidit. Quin præcipit tibi Petrus, vt ei ſecundùm ſcientiam cohabites, quaſi infirmiori vaſculo muliebri honorem impartiens, tanquam ei, quæ & ipſa cohæres tecum ſit gratiæ vitæ. Hoc autem ad ambos vos pertinet: vt ſi quos vobis Deus liberos dederit (quod equidē vt ita fiat, cum his omnibus ad-

bus adstantibus opto) eos vt sine mora per Baptismum Christo consecretis, & cùm per ætatem capere poterunt, in fide instruatis, atque in timore Dei honestè educetis. Ita fiet, Deo propitio; vt solatium ex eis suo tempore capiatis, & in senectute vestra mutuam ij vobis vicem reddant. Quæ plerumq; in contrarium solent recidere ijs, qui liberorum suorum bonam & honestam educationem negligunt. Tua verò (ô puella) hæc inprimis cura esse debebit, viro cura rei familiaris, & alijs negorijs extra domum occupato. Quòd si quid aduersi & molesti alterutri vestrum, siue in animo, siue in corpore, siue in fortunis acciderit, commune id malum ambo ducere debebitis: nec solùm abominandus aut negligendus non erit alteri is, qui patitur; verùmetiam omni ope, cura & studio adiuuandus, vt euadat. Quòd si incurabile malum sit, amanter tolerandus erit socius: & cum consolatorijs sermonibus, tum omni sedulitate, officio, & obsequio recreandus, & ad tolerantiam & æquanimitatem excitandus. Quemadmodum videmus vnius corporis membra facere: quæ se inuicem in aduersis non deserunt, sed subleuant, quoad possunt, & adiuuant. Si ita erga vos mutuo affecti eritis, habebitis Deum propitium; & prosperantem vos in liberis & longa prosperitate, & in omni vita & amara eius, si quæ vobis occurrent in dulcedinem conuertentem: & ad extremum remunerabitur is labores vestros vita & gloria sempiterna cum sanctis Patriarchis, & alijs pijs hominibus: qui vitam coniugalẽ cum timore Dei & pietate, concordiaq; & charitate mutua exegerunt, & liberos suos ad cultũ & gloriam Dei educârunt,

O Swiątośći Małżeńſtwá, nauká.

GDy Pan Bog dobroć swoie wßerz y wzdłuż dáleko rozſtawić chćiał/ nadobny ten świát z źiemie y z niebá złożony/ z niczego ſtworzył. A gdy niebo ſłońcem/ mieśiacem/ gwiazdámi/ á źiemie źiołmi/ drzewy/ y niezliczonemi źwierzety źiemſkimi/ wodnemi/ y wßelákimi ptáſtwy przyozdobił; tedy też człowieká z gliny vlepionego/ nieináczey iákoby gośpodarzá nád domem/ nád tym wßytkim ſtworzeniem pánem poſtáwił: á iżby w tych rzeczách/ ktore nie ſą wieczne/ vſtáwicznie ozdobá trwálá/ wlał źwierzetom źrzodła y moc pomnożenia: W tych rzeczách iednák/ iáko y w wielu inßych wielka rożność miedzy człowiekiem/ á miedzy inßemi źwierzety mieć chćiał.

Tam

Tym zwierzętom bowiem bezrozumnym/ktore ludzkiemu vżytkowi służyć miały/pozwolił nieſtatecznego y ſpolpowiklánego złączenia: ále człowiekowi / iedne tylko towárzyſſke z kośći boku iego ſtworzył / á ſtátecznym y mocnym ślubem obowiązána w rękę podał / czymby dwoie ludźi złączonych ochronić ſie mogli życia wßetecznego/żeby pewne potomſtwo mieli/ z ſpolnym ſtárániem ie wychowáli/ z ſpolna práca/y z ſpolnym życiem ſobie pomagáli/ á milßy żywot wiedli. A iżeby te wßytkie rzeczy ßczesliwßy poſtępek miáły / błogoſławił im mowiąc: Rośńćie/ mnożćie ſie/ á nápełniayćie ziemie. Ták tedy od początku rodzáiu ludzkiego Pan Bog Małżeńſtwo w ráiu poſtánowił / pieczą máiąc y ſtáránie o dobrym żywotá ludzkiego / y o pewnym á poczćiwym ludźi pomnożeniu / y vſtáwicznym świátá ſpráwowániu: ktoremu Małżeńſtwu nierychło potym przez Synà ſwego iedynego Páná á miſtrzá náßego Jezuſá Chryſtuſá/ ábo też przez Apoſtoły iego w nowym Teſtámencie/Sákrámentu powagę y świątość przyłączył/áby co áni w przyrodzonym/ áni w Moyzeßowym zakonie / áni też v pogánow świątoſći nie było/ to áby iuż w zakonie łáſki ſákrámentem było: przykłádem onego złączenia/ ktore ieſt miedzy Pánem Chryſtuſem/á miedzy kośćiołem: iżeby w nim małżonkowie przez poſługę kápłáńſką złączeni y związáni związkiem / ktorego rozerwáć ſie nie godźi (iákiego związku nie było áni v Żydow / áni v pogan) ſtawßy ſie iednym ćiáłem / byli vczeſtnikámi łáſki Bożey: zá ktoraby mogli wſtydliwie/przeſtáiąc ſámi zſobą/ w zgodźie y miłości żyć: áby ták vwiárowawßy ſie grzechu / y bedąc wolnemi od pożądliwości/z ćieleſney żądze podczás pochodzącey/y od wßetecznego ſpołku / żywot wieczny tym ſnádniey otrzymáć mogli. Ponieważ tedy ten Sákrament ieſt táki / ktemu że y łáſkę z dobrodźieyſtwá Páńſkiego tym vżycza / ktorzy pobożnym á dobrym vmyſłem ku niemu przyſtępuią: Wy też oboie ták macie przyſtąpić / żebyśćie nietylko Sákrament / ále y pożytek tego Sákrámentu przyieli: á iżby wam Pan Bog błogoſławił/ iáko pierwßym rodźicom náßym w ráiu: iáko Abrahámowi z Sárą/ Izáákowi z Rebeką/ Tobiaßowi z drugą Sárą. A z vczćiwośćią przyſtąpićie / ieſli nie w pożądliwości / iáko koń y mul / ktorzy rozumu nie máią / przyſtępować będźiećie / ále z boiáźnią Bożą w kośćiele powßechnym / oprocz ktorego Sákrámentu nie máß żadnego: ábo ieſli ktory ieſt / ſłutku żadnego nie ma: złączáć ſie maćie

tym vmy-

tym vmyślem / żeby ostawszy się iednym ciałem / we wszelákim spolnym życiu y pomieszkániu / vprzeyma miłość byłá miedzy wámi / y spolna pomoc: spráwá małżeńska wstydliwa / dla pomnożenia y wychowánia dźiateczek ku chwale Bożey: ábo też dla vwiárowánia niepowściągliwości / y wszeteczney żądze. Trzymáiąc się onego co Páwel ś. roskázuie / áby modlitwy wáße y serce / przekázy żadney do Bogá nie miały: co iednák naprzednieyßy cel wßytkiego żywotá ludzkiego bydź ma. Ná co / ponieważ od Kościołá powßechnego / krewkości ludzkiey y zabáwom świátá tego dogadzáiąc / są náznáczone czásy pewne y dni świete: tedy ná to oboie trzebá mieć pilne baczenie.

To też pomnieć maćie / iż się złączaćie związkiem nigdy nie rozieymnym: y żaden z was / poki ieno ktore z was żywo będźie / nie może w inße małżeństwo wstąpić: y żaden z was nie będźie miał w mocy ciáłá swego / ále vżywáiąc słow Páwłá ś. Żoná mężowego / á mąż żeninego ciáłá pánem będźie. Przetoż też ze wstydem cále y niepomázánie ieden drugiemu to ziścić ma / ták iżeby żaden z krzywdą drugiego nie tylko nie występował (co w małżeństwie iest cudzołostwo Pánu Bogu brzydliwe) ále też ile bydź może / máią się oboie złego podeyźrzenia miedzy sobą pilnie wystrzegáć. Zawisna iednák oná miłość z waśni ábo z gorliwości / nie ma mieć mieyscá miedzy wámi.

Ale w tym towárzystwie stanu małżeńskiego chce Pan Bog mieć nieiáką rożność: ábowiem gdy żonę z boku mężowego stworzył / głowa y rządzcą nád nią mężá vczynił: bo ták Jewie rzekł: Pod mocą mężową będźieß: á on będźie pánem tobie. Co też tákże ś. Páwel niewiástom przykazał: A Piotr ś. przywodźi ie przykłády do tego mowiąc: Tákiemi niekiedy vbiory vbierały się pánie świete / w Pánie Bodze nádźieie máiąc / á poddáne własnym mężom będąc; iáko Sará posłußna byłá Abráhámowi / pánem go zowiąc: ktorych y ty náśládować maß / á czćić y ważyć męża twego / posłußna y powolna iemu będąc we wßytkim: (wyiąwßy by cię od dobrey wiáry / á od kościołá powßechnego odwodźić chćiał) ieśliż chceß / iákoż maß chćieć / vpodobáć się Pánu Bogu / iáko się one vpodobały / y przykázániu iego posłußne były. Ty zá sie synu miły / nie maß żoną gárdźić dla tego / iżći ia Pan Bog pod moc dał: ále ią maß miłowáć iáko twoię towárzyßkę / y iáko ciáło twoie tym sposobem / iáko też Pan Chrystus kościoł vmiłował swoy / zá ktory

 też sá-

też sámego siebie wydáć raczył: y owßem przykázuieć Piotr s. żebyś z nia bácznie mießkał / przystoyna iey cześć czyniąc / iáko mdleyßemu naczyniu / y iáko tey ktora iest z toba dźiedźiczka láski żywotá wiecznego.

Obiemá zás to służy / iesliby wam Pan Bog dźiatki dał: czego ia wam życze / y ći wßyscy ktorzy tu stoią / żebyście ie krom mießkánia przez Chrzest Pánu Chrystusowi poswiecili: á skoro podrosłą / w wierze ćwiczyli / y w boiázni Bożey vczćiwie wychowáli: Bo ták zá láską Páńską poćiechę z nich czásu swego wezmiećie / á w stárości wáßey wzaiemną nagrodę od nich mieć bedźiećie: co wiec ináczey bywa v tych / ktorzy dobrego á pobożnego dźiatek swych wychowánia zániedbáią. W czym iednák twoie (pánno) stáránie napierwße bedźie / zwłaßcza gdźie sie maż gospodárstwem / ábo inßemi okrom domu spráwámi zábáwi. Jesliby sie też ktoremu z was / bądź ná vmysle / bądź ná ćiele / bądź ná máietności / co przećiwnego á ćiężkiego przydáło / to wßytko zá spolną dolegliwość sobie mieć bedźiećie: y nie tylko sie drugi nie bedźie brzydźił tym / ktoremu sie co tákiego z przygody tráfi / ále też wßeláką pilność y praca około tego mieć / żeby był wolnym od tego. A iesliżeby co ták gwałtownego było / coby sie vleczyć / á temu zábieżeć nie mogło; tedy z miłości towárzyßá swego trzebá zćierpieć / ćießąc go to miłemi słowy / to wßeláką pilnością / to vczćiwością / to vsługą; á náwet pobudzáć go do ćierpliwości y stałości: co widźimy / iż członki iednego ćiáłá czynią: ábowiem w przećiwnych rzeczách nie opußczáią sie siebie / ále sobie ile mogą zobopolnie pomagáią. Jesliż tedy wy tákowego sercá ieden przećiw drugiemu bedźiećie / tedy łáskę Bożą poznáćie / y bedźie was Pan Bog błogosłáwił y ćießył długo ná dźiatkách / y ná wßytkim życiu wáßym: wßystkie kłopoty wáße iesliżby ktore przypádły / w dobre / y w vćiechę miłą obroći: á náostátek nágrodźi wam prace wáße / żywotem y chwałą wieczną / z świętemi Pátryárchámi / y innemi pobożnemi ludźmi / ktorzy żywot swoy małżeński / w boiáźni Bożey / w pobożności / w zgodźie / y w spolney miłości wiedli / á dźiateczki swoie ku czći á ku chwale Pánu Bogu wychowáli.

Vnterrichtunge vom heiligen Sacrament der Ehe.

Als Gott

Als Gott seine gütigkeit weit vnd breit außgiessen vnnd vertheilen wolte/ hat er diese schöne Welt/ so auß Himel vnd Erd zusammen gesetzt/ aus nichts erschaffen: Vnd als er den Himel mit sonne/ mond/ vnd sternen/ die erde mit kreutern vnnd beumen/ auch vnzehlichen geschlechten der thiere/ so auff erden / im wasser vnd in der lufft leben / geschmücket vnd gezieret hatte / hat er entlichen den Menschen/ welchen er aus einem Erdenklos gemacht/ gleich als einen Haußvater vnd Herren/ vber dis alles gesetzet. Vnd auff das diese zierde ewig/ in denen dingen/ die doch ewig / werende nicht seind / bliebe vnd erhalten wurde / hat er den Thieren Samen / beneben der begierde sich zu mehren/ eingepflantzet. Doch so hat er gewolt / das auch hierinne / gleich wie in viel anderen dingen mehr / ein grosser vnterscheid sein solte/ zwischen dem Menschen/ vnd den anderen Thieren. Dann diesen vnuornünfftigen Thieren/ so zum nutz vnd gebrauch des Menschen erschaffen/ hat er zugelassen/ das sie sich vnordentlicher vnd viehischer weise vntet einander vermischten. Dem Menschen aber / hat er einen mitgehülffen des Lebens / von der Riebe seiner Seiten erbawet / vnd im dieselbige mit gewissem vnd festem verbündnus verknüpffet/ viehische Vnzucht vormeiden / gewisse Nachkömlinge zeugten / vnd mit gemeinem fleiß anfferzügen/ stets zusammen lebten / vnd eines dem andern getreulich hülffe/ vnd also dan Leben jhnen selbst desto lieblicher machten. Vnd damit diß alles einen glückhafftigen fortgang gewünne / hat er sie gesegnet / sprechende: Wachset vnd mehret euch / vnd erfüllet die Erden. Also hat nun Gott von anfang des Menschlichen geschlechts/ den Ehestand im Paradis eingesetzt/ vnd da für gesorget/ vnd gedacht/ wie das Leben der Menschen bequeme erhalten/ die Kinder zucht gewis vnd ehrlichen fortgestellet / vnd die Welt stets für vnd für versehen vnd versorget würde: welchen Ehestand er hernach vber lang/ durch seinen eingebornen Son / vnsern Herren vnd Meister Jhesum Christum / oder durch seine Aposteln im newen Testament / zu einem heiligen Sacrament gemacht / also / das der Ehestand / welcher im Gesetz der Natur / vnd Moyses/ vnd bey den Heyden kein Sacrament gewesen ist/ jetzt im Gesetz der genaden ein Sacrament ist: Nach dem Exempel vnd gleichnüs der Ehe/ so zwischen Christo vnnd der Kirchen ist/ werden also die Eheleute/ inn diesem Sacrament der Ehe / durch den Dienst des Priesters/

Decimaoctaua, in Iudices Seculares in causis capitalibus, seu criminalibus,contra personas quascunq;Ecclesiasticas se interponentes,processando, sententias proferendo,aut exequendo. Nec valent priuilegia contra dicta.

Decimanona, in occupantes terras & loca Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam iurisditionem vsurpantes.

Vigesima, in raptores supellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum Cameræ & Palatij Apostolici ex eodem Palatio tempore infirmitatis Pontificis, & Sedis Apostolicæ vacationis.

Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo, & tunc etiam nonnisi de satisfactione cautione præstita,absolui potest,& qui de facto absolueret, excommunicationem Papæ reseruatam incurreret, vt in eadem Bulla sancitũ est.

Aliæ Excommunicationes Papæ reseruatæ,extant in Iure varijs locis, ex quibus præcipuæ hìc subnectuntur, maximè quarum notitiæ vsus in hoc Regno esse potest.

Prima. Contra percussores Clericorum. *c. Si quis suadente, 17. q. 4.*

Secunda. Contra excommunicatos à delegato Papæ,si per annum infordescant in excommunicatione. *cap: Quærenti. de officio deleg.*

Tertia. Contra falsarios literarũ Apostolicarum. *c. ad falsarios. c. de crim: fal:* Et contra habentes falsas literas Apostolicas, si intra viginti dies illas non destruant. *cap: dura. eodem.*

Quarta. Contra sacrilegos, qui cum effractione spoliant Ecclesias. *cap: Conquesti. de sent: excom.*

Quinta,

Quinta. Contra Clericos participantes in diuinis cum excommunicatis à Papa. *cap: Significauit. de sent: excom.*

Sexta. contra communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa. *c. nuper. de sent: excom.*

Septima. Contra eos qui in personis aut bonis grauant illos, qui censuras in aliquem tulerunt. *cap: quicunque. de sent: excom: lib: 6.*

Octaua. Contra eos, qui à Canonis, vel hominis, & à Papali excommunicatione absoluti, sub conditione (vtpotè ob mortis periculum) eam non implent. *cap: Eos qui darent. de sent. excom: lib: 6.*

Nona. Contra eos, qui in loco interdicto cogunt aliquos celebrare Diuina. *Clem: grauis. de sent: excom.*

Decima. Contra exenterantes corpora defunctorum, & decoquentes ea, vt ossa separata ferant sepelienda in terram suam. *Extrauag: 1. de sepul.*

Vndecima. Contra dantes & recipientes ob ingressum religionis, nisi spontè & sine pacto detur. *Extrauag: 1. de Simonia.*

Duodecima. Contra Simoniacos, ordine & beneficio, & mediatores. *In extrauag: 2. de Sim.*

Decima tertia. Contra inducentes ad iurandum, de eligenda sepultura, vel electa non mutanda. *Clem: cupientes. §. finali. de pœnit.*

Decima quarta. Contra alienantes bona Ecclesiarum in earum detrimentum. *In extrauag. Ambitiosæ. de rebus Eccles: non alienan.*

Decima quinta. Contra Religiosos administrantes Sacramenta Extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ, vel Matrimonia solennizantes sine licentia Parochorum. *Clem: Religiosi. de priuil.*

Decima sexta. Contra Religiosos, qui à Censuris per Statuta Prouincialia aut Synodalia promulgatis, absoluere præsumunt. *Eadē Clē: Religiosi.*

Decima septima. Contra absoluentes, à Casibus Bullæ Cœnæ Domini. *vt in eadem Bulla.*

Notandum est insuper, casus Papæ reseruatos, & supra expressos, ferè omnes poni in Extrauag: *Etsi Dominici. de pœn: & remis.* vbi etiam ponitur conspiratio in personam, aut statutum Romani Pontificis. Item. Presbytericidium & prohibitio deuolutionis causarum ad Curiam Romanā.

Excommunicationes præcipuæ reseruatæ Papæ, extra Iuris corpus contentæ.

Prima. Contra accipientes vel retinentes aperte vel occultè, quæcunq; beneficia in confidentiam. *Pius IV. in Bulla, Romani Pontificis.*

Secunda. Contra fœminas ingredientes Monasteria Monialium, & virorum cuiuscunq; Ordinis, vigore licentiarum ab Episcopis vel Superioribus ipsis concessarum. *Gregorius XIII. in Bulla. V bi gratiæ.*

Tertia. Contra Moniales exeuntes extra clausulam, & contra dantes eis licentiam, & comitantes eas, & recipientes. *Pius V. in Bulla. Decon.*

Quarta. Contra accipientes aliquid ex fructibus, primi & secundi anni beneficij vacātis. In collatione aut prouisione. *Pius V. in Bulla. Durū nimis.*

Quinta. Contra violatores Ecclesiasticæ immunitatis, cùm in loco sacro aliquis in rebus, vel persona offenditur, vel extrahitur de Ecclesia. *Greg: XIV. in Bulla: Cùm aliàs.* quæ est inserta in Synodo Gembiciana, sub titulo: *De immunitate Ecclesiastica.*

Sexta. Contra pugnantes in duello, tam publico quàm priuato, & concedentes locum, & contra astantes & consulentes. *Concil: Trid: Sess: 25. c. 19. De reform.* Item in Bullis, *Pij IV. Ea quæ.* Et *Greg: XIII. Ad tollendum.* Et *Clem: VIII. in Bulla, quæ incipit: Illius vices.* Vbi etiam excommunicantur prouocantes, consulentes ad duellū, etiāsi pugna non sequatur.

Septima. Contra occupantes bona, & census Ecclesiarum, & piorum locorum. *Concil: Trid: Sess: 22. c. 11. de reform.*

CASVS EPISCOPALES.

CAsus Episcopis reseruati, sunt illa omnia peccata, quorum absolutionem Episcopus in sua Diœcesi non concedit Parochis, aut alijs Sacerdotibus, & Religiosis: de quibus certa regula dari non potest, & ideo Confessarij audituri confessiones, indicem casuum ab Episcopis reseruatorum, in promptu habeant. De iure autem & consuetudine communi totius Ecclesiæ, sunt isti.

Primus. Percussio leuis Clerici. Quæ autem sit dicenda leuis percussio, habetur in *Extrauag: perlectis.* relata à Nauarro, *c. 27. num: 91.*

Secundus. Omne crimen Papæ reseruatum, si fuerit occultum. *Concil: Trid: Sess: 24. c. 6. de reform.*

Tertius. Incendiarij publici frugum, domorum, & dantes eis auxilium. *23 q 8. c. pessimam.*

Quartus. Peccatum publicum, ob quod solennis pœnitentia est imponenda. *c. fi: iun: glos: 26. q. 6.*

Quintus.

Quintus. Blasphemia publica & notoria. *cap: Statuimus. de maledicis.*
Sextus. Homicidium voluntarium, & realis membri absciſio. *Nauar: c. 27. num: 262.*

Septimus. Crimẽ falsi, cùm quis vitiat literas aut scripturas. *cap: 1. de crim: falſ.* vel dat falsum testimonium in iudicio. aut cùm aduocatus ostendit instrumenta vnius partis, alteri. *Silu:* verbo, *Casus. q. 4.* Item addit *Nauar:* loco suprà citato, retentionem incertorum alienorum, & omne sacrilegium esse casum Episcopalem, de consuetudine. Addit etiam *Silu:* loco citato, sortilegium & diuinationem.

Notandum autem est, in hac Prouincia antiquitus fuisse plures casus reseruatos Episcopis in Constit: Prouinc: *lib: 4. c. 1. de pœnit: & remiſ.* quorum aliquos nunc Sedes Apostolica sibi reseruauit, vt patet ex supra dictis.

Finis Primæ Partis Ritualis, de Sacramentis.

ALTERA PARS RITVALIS,

DE CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS:

VT POTE;

DE BENEDICTIONIBVS, PROCESSIONIBVS, ET EXORCISMIS.

CRACOVIÆ,

In Officina ANDREAE PETRICOVII, *S. R. M. Typogr.*

ANNO DOMINI,

M. DC. XXXI.

S. Gregorius, Augustino Anglorum Episcopo.

C. Nouit. *Dis: 12.*

Nouit Fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem. Sed mihi placet, vt quicquid siue in Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia inueneristi, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas.

S. Augustinus Epist: 86.

Et c. In his. *Dis: 11.*

In his rebus, de quibus nihil statuit Diuina Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum, pro lege habenda sunt. Et sicut præuaricatores Diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.

INDEX,

Eorum, quæ in Secunda Parte huius Ritualis libri continentur.

DE Benedictionibus, Regulæ generales, Pagina 1.
Ordo ad faciendam aquam benedictam, 2.
In festo S. Stephani, benedictio Auenæ, 4.
In festo S. Ioannis Euangelistæ, benedictio Vini, 5.
In festo Epiphaniæ, benedictio Auri, Myrrhæ, & Thuris, 8.
Benedictio Candelarum, extra diem Purificationis B.M.V. 9.
Benedictio Domorum, in Sabbato Sancto Paschæ, ibid.
Benedictio domorum alio tempore facienda, 10.
Benedictio loci, 11.
Benedictio domus nouæ, ibid.
Benedictio Thalami, 12.
Benedictio Nauis, ibid.
Benedictio communis super fruges & vineas, 13.
Benedictio peregrinorum ad loca sancta prodeuntium, ibid
Benedictio peregrinorum post reditum, 16.
Benedictiones Esculentorum, præsertim in Pascha, 17
Benedictio Agni Paschalis, ibid.
Benedictio Ouorum, 18.
Benedictio Panis, ibid.
Benedictio nouorum fructuum, 19.
Benedictio ad quodcunq; comestibile, ibid.
Benedictio Olei simplicis, ibid.
Benedictiones ab Episcopis, vel alijs facultatem habentibus, faciendæ, 20.

Benedictio Sacerdotalium indumentorum in genere, Pagina 20.
Benedictio mapparum, seu linteaminum altaris, 22.
Benedictio Corporalium, ibid.
Benedictio tabernaculi, seu vasculi, pro Sacrosancta Eucharistia conseruanda, 23.
Benedictio nouæ Crucis, ibid.
Benedictio Imaginum IESV Christi Domini nostri, B. V. M. & aliorum Sanctorum, 24.
Ritus benedicendi & imponendi primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda, seruandus à Sacerdote facultatem habente ab Episcopo, 25.
Ritus benedicendi nouam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, vt ibi Sanctissimum Missæ sacrificium celebrari possit, 29.
Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata, 33.
Ritus benedicendi nouum cęmeterium, per Sacerdotem ab Episcopo delegatum, 35.
Ordo reconciliandi cæmeterium violatum, siue Ecclesiæ contiguum sit, siue separatum, vbi Ecclesia non est polluta, 37.
Benedictio Panis & Aquæ in festo S. Agathæ, contra ignis periculum, 38.
De Processionibus, 40.
De Processionibus diebus Dominicis, iuxta ritum antiquum Prouinciæ, 41.
De Processione in Festo Purificationis B. M. V. 46.
De Processione die Cinerum, 52.
De benedictione palmarum, & Processione in Dominica Palmarum, 62
De feria quinta Cœnæ Domini, 73.
De absolutione publicè pœnitentium in Cœna Domini, 110.
De consecratione & depositione hostiarum, ibid.

De de-

INDEX.

De denudatione, lotioneque altarium, & Oleis sacris, Pagina 111
De mandato & lotione pedum, ibid.
De feria sexta Parasceues, ibid.
Benedictio ignis, cerei, & fontis, in Sabbato Sancto Paschæ, 133.
Dominica Resurrectionis; Apertio sepulchri, & Processio, 169.
Processio Paschatis ante maiorem Missam, 173.
In festo Sancti Marci Euangelistæ. De Litaniæ maioris & minoris institutione, & causis, 174.
Ordo Litaniæ maioris, & Processionis die S. Marci, 175.
Litaniæ de Nomine IESV, 184.
Litaniæ de Beata Maria Virgine, 186.
De Litania minori diebus Rogationum, 187.
In Festo Ascensionis Domini, 188.
De Vigilia Pentecostes, 190.
In die Sancto Pentecostes, ibid.
In Festo SS. Trinitatis, 192.
In solennitate Corporis Christi, ibid.
De Processione solenniori eiusdem festi, 194.
In Festo Diuisionis Apostolorum, 200.
In Festo Assumptionis B. M. Virginis, benedictio herbarum, & Processio, 202.
De Processione die decima Decembris, 205.
De Processione generali pro fidelibus defunctis, ibid.
De Processione ad petendam pluuiam, 213.
De Processione ad postulandam serenitatem, 214.
Preces ad repellendam tempestatem, 216.
Preces dicendæ tempore penuriæ & famis, 218.
Processio tempore mortalitatis & pestis, 219.
Preces dicendæ in Litanijs tempore belli, 221.
Processio in quacunq; tribulatione, 224.
Preces dicendæ in Processione pro gratiarum actione, 227.

De Pro-

De Processione in Translatione Sacrarum Reliquiarũ, Pagina 237.
De his quæ Interdicti tempore prohibentur, ibid.
Casus, in quibus Cæmeteria & Altaria, consecrari aut reconciliàri debent, ibid.
Thurificationis modus in Vesperis, 239.
Exceptio noui Archiepiscopi & Episcopi, 240.
Introductio noui Plebani, seu Beneficiati, 243.
Preces contra maleficia & incantationes, 245.
De exorcizandis obsessis à dæmonio, 248.
Formulæ scribendi in libris habendis apud Parochos, 272.
Formulæ Tonorum, Psalmi XCIIII. *Venite exultemus*, ad Inuitatoria, 278.
Passiones quatuor. 317.

BIBLIOTECA

ALTERA PARS RITVALIS.

DE CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS.

De Benedictionibus, Regulæ generales.

NOuerit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, & quæ ad Episcopum suo iure pertineant: ne maioris dignitatis munera, temerè, aut imperitè, vnquam vsurpet propriâ authoritate.

In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo & stolâ, pro ratione temporis vtatur, nisi aliter in Missali notetur.

Stando semper benedicat, & aperto capite.

In principio cuiusq; benedictionis dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicatur Oratio propria, vna, vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

Postea rem aspergat aquâ benedictâ, & vbi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

Cùm Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquæ benedictæ, & aspergillo, & cum hoc Rituali libro, seu Missali.

Caueat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super altare, veluti esculenta: sed quod eiusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.

Ordo ad faciendam aquam benedictam.

Diebus Dominicis, & quandocunq; opus fuerit, præparato ſale, & aqua munda benedicenda in Eccleſia, vel in Sacriſtia, Sacerdos cum ſuperpelliceo & ſtola violacea indutus, primò dicit:

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde abſolutè incipit Exorciſmum ſalis.

EXorcizo te creatura ſalis, per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum, per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti iuſſit, vt ſanaretur ſterilitas aquæ: vt efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium: & ſis omnibus ſumentibus te, ſanitas animæ & corporis: & effugiat atq; diſcedat à loco, in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſq; ſpiritus immundus adiuratus per eum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen. Oremus.

IMmenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hanc creaturam ſalis, quam in vſum generis humani tribuiſti, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ tua pietate digneris; vt ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis; & quicquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus aquæ, & dicatur ſine Oremus.

EXorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Ieſu Chriſti Filij eius Domini noſtri, & in virtute Spiritus ✠ Sancti: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtaticis: per virtutem eiuſdem

eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

DEvs, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde, vt creatura tua mysterijs tuis seruiens ad abigendos dæmones, morbosq; pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quicquid in domibus, vel in locis fideliū, hæc vnda respersérit, careat omni immunditia, liberetur à noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici; & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, vt salubritas per inuocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum, &c.

Hic mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

Commixtio salis & aquæ, pariter fiat; In nomine ✠ Patris, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis Imperij Rex, ac semper magnificus triumphator: qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sæuitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas; te, Domine, trementes & supplices deprecamur, ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, vt vbicunq; fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorq; venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam

tuam poſcentibus vbique adeſſe dignetur. Per Dominum nostrum, &c. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, &c.

Poſt benedictionem aquæ, Sacerdos Dominicis diebus, antequam incipiat Miſſam, aſpergit altare, deinde ſe, & miniſtros ac populum; prout in Miſſali præſcribitur, & infra, ſub titulo, De Proceſſionibus. iuxta ritum Prouinciæ habetur.

Poſtea Chriſti fideles poſſunt de ipſa aqua benedicta in vaſculis ſuis accipere, & ſecum deferre ad aſpergendos ægros, domos, agros, vineas, & alia & ad eam habendā in cubiculis ſuis, vt ea quotidie, & ſæpius aſpergi poſſint.

IN FESTO S. STEPHANI.

Benedictio Auenæ.

Habetur etiam prolixè in Sacerdotali Romano, & in hac Prouincia antiquitus die Feſto S. Stephani obſeruatur: fiat hoc modo:

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, creator cœli & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes & orantes ad te, qui omnia de nihilo creâſti, & hoc pabulum cū cæteris creaturis ad vſus animalium, & ad eorum nutrimentum feciſti: quæ quidem animalia in adiutorium & ſuſtentationem hominum creâſti: quiq; hodierna die petitionem S. Stephani protothomartyris adimplêſti: te humiliter deprecamur, vt hanc creaturam auenæ, quam ad vſus animalium, & ſanitatem eorum feciſti, per inuocationem Sancti nominis tui, & interceſſionem Beatæ Mariæ ſemper Virginis genitricis tuæ, & per merita Beati Stephani protothomartyris tui, cuius feſtum hodie recolimus; & per preces omnium San-

um Sanctorum bene ✠ dicere, & sanctifi ✠ care digneris, vt animalia quæ ex ea gustauerint, sanitatem integraliter recipiant, per te Iesu Christe, cuius solo verbo omnia restaurantur, saluator mundi, Rex æternæ gloriæ. Qui in Trinitate perfecta cum Patre & sancto Spiritu viuis & regnas, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. remus.

DEvs, qui temporibus Eliæ Prophetæ, cœlum à nubibus restringendo clausisti, & rursum aperiendo te mirabilem ostendisti: exaudi preces plebis tuæ per Vnigenitum tuum, quem consubstantialem & coæqualem tibi in Diuinitate credimus, & per Spiritum sanctum Paraclitum, quem ab vtroq; procedere confitemur, & per merita beatissimi prothomartyris Stephani, cuius hodie festum celebramus, vt bene ✠ dicas, & sancti ✠ fices hanc auenã; vt quæcunq; animalia ex ea gustauerint, adiutorium sanitatis & incolumitatis recipiant, per te Domine Sancte Pater, qui cum Filio, & Spiritu sancto, viuis & regnas, per omnia sæcula sæculorũ. Amẽ.

Et benedictio Dei ✠ Patris omnipotentis, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, descendat super hanc creaturam auenæ. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aquâ benedictâ.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Benedictio Vini.

IN Festo S. Ioannis Euangelistæ, post Missam maiorem, ante Euang: In principio. quod tunc omittitur per Sacerdotem celebrantem, retentis omnibus paramentis, vinum à populo oblatum, necnon alius potus in memoriam & honorem S. Ioannis, qui venenum innocuè sumpsit, benedicitur hoc modo:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣ Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Ini-

℣. Initium sancti Euangelij secundùm Ioannem.
℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mūdum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis. Et vidimut gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. ℟. Deo gratias. Oremus.

PEr istos sermones sancti Euangelij. & per merita sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ, bene ✠ dicere, & confe ✠ crare digneris, Domine Deus, dexterâ tuâ, hunc calicem vini & cuiuslibet potus: & præsta, vt omnes in te credentes, & de calice isto bibentes, benedicantur & protegantur. Et sicut Beatus Ioannes de calice bibens venenum, illæsus omnino permansit; ita isti hodie in amore tuo, & Beati Ioannis, de calice isto bibentes, meritis ipsius ab omni ægritudine veneni, & noxijs quibusuis absoluātur, & corpore ac anima se offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BEne ✠ dic Domine, hanc creaturam potus, vt sit remedium salutare omnibus sumentibus: & præsta, per inuocationem

sancti

sancti nominis tui, vt quicũq; ex eo gustauerint, tam animæ, quàm corporis sanitatem, te donante percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Concludendo.

ET benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, descendat super hanc creaturam vini, & cuiuslibet potus, & maneat semper.

Postremò aquâ benedictâ aspergat.

Quod si benedictio ista fiat priuatim extra Missam, Sacerdos superpelliceo & stola indutus, eam super altare tectum conficiat, secundùm eandem formulam, incipiendo: Adiutorium nostrum, &c. vsq; ad finem. Nisi quod in locum Euangelij: In principio erat verbum, &c. substituat Euangelium sequens.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunq; dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm purificationem Iudæorum: capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vsq; ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruâsti bonum vinum vsq; adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam. Et crediderunt in eum discipuli eius.

IN PE-

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Benedictio Auri, Myrrhæ & Thuris.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

BEne ✠dico te creatura Auri, Thuris, & Myrrhæ: per Deum Patrem omnipotentem, per Iesum Christum filium eius vnicum: & Spiritum Paraclitum: per omnia sancta ac ineffabilia nomina Dei: & per mysterium huius sanctæ diei: quæ eadem munera in titulum regalem, & magnificentiam Sacerdotalem, ac sepulturam Dominicam, tres Magi obtulerunt. Bene ✠dico te, vt has virtutes in te suscipias, & in te semper teneas: vt quicunq; te creaturam Auri, Thuris, & Myrrhæ, ob reuerentiam Diuinæ maiestatis, & ob corporis ac animæ suæ salutem circa se gestauerint, aut quocunq; recto modo habuerint, diuina eos protegente potentia, ab omni periculo corporis & animæ sint tuti vbique: mortem subitaneam, & morbos omnes effugiant: hostiumque visibilium & inuisibilium insidias euadant: & omne desiderium eorum prosperetur: & absoluat eos Dominus ab omnibus tristitijs, veneficijs, & cunctis aduersitatibus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti, descendat super nos, & super has creaturas, & maneat semper. Amen.

Postrem ò aquâ benedictâ aspergat.

Benedi-

Benedictio Candelarum, extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui, benedic ✠ candelas iſtas ſupplicationibus noſtris, infunde eis Domine per virtutem ſanctæ Crucis ✠ benedictionem cæleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti: talemq; benedictionem ſignaculo ſanctæ Crucis ✠ accipiant, vt quibuſcunq; locis accenſæ, ſiue poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pauidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis, nec præſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſeruientes tibi omnipotenti Deo. Qui viuis & regnas, in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. *In festo S. Agathæ Virg. & Mart. Benedictio talis, ut ſupra.*

Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta. *Vide inferius folio 38.*

Benedictio domorum, in Sabbato Sancto Paſchæ.

PArochus, ſeu alius Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola alba indutus, cum miniſtro deferente vas aquæ, ex benedictione fontium ante perfuſionem Chriſmatis acceptæ, viſitat domos ſuæ Parochiæ, aſpergens eas eadem aqua benedicta. Ingrediens domum, dicit: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde aſpergens loca præcipua domus, & eos qui habitant in ea, dicit Antiphonam:

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluia. Et omnes, ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt, Alleluia allel.

Pſalmus. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculũ miſericordia eius. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat, in principio, & nunc, & ſemper, &c.

Repeti

Repetitur Antiph: Vidi aquam, &c. Deinde dicit:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, Alleluia.

℟. Et salutare tuum da nobis, Alleluia.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & sicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodisti: ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia benedictio domorum alio tempore facienda, cum aspersione aquæ benedictæ.

PArochus, seu alij Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum, dicant: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Deinde loca aspergendo, dicant Antiph.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Psal. Miserere mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, &c.

Et repetitur Antiphona, Asperges me Domine, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mitte-

& mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Benedictio loci.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

BEnedic ✠ Domine Deus omnipotens locum istum, vel domum istam, vt sit in eo, vel in ea, sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto; & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc & semper. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

Alia benedictio domus nouæ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus eius, ac rebus, vt eam benedicere, ✠ & sanctificare, ✠ ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere, ✠ & sanctificare, ✠ digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Iacob: & intra parietes domus

nitius, Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & eius habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Benedictio Thalami.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
O remus.

BEnedic ✠ Domine, thalamum hunc, vt omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cælorum perueniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergatur thalamus Aqua benedicta.

Benedictio nouæ Nauis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
O remus.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & benedic ✠ nauem istam dextera tua sancta, & omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluuio: porrige eis Domine dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare; & mitte sanctum Angelum tuum de cælis, qui liberet, & custodiat eam semper à periculis vniuersis, cum omnibus, quæ in ea erunt: & famulos tuos repulsis aduersitatibus portu semper optabili, cursuq; tranquillo tuearis, transactisq; ac rectè perfectis negotijs omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio reuocare digneris. Qui viuis & regnas, &c.

Aspergat nauim Aqua benedicta.

Benedi-

Benedictio communis super fruges, & vineas.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ORamus pietatem tuam omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluuiæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas; & fructus terræ tuæ vsque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, vt à fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Aspergat illas Aqua benedicta.

Benedictio peregrinorum, ad loca sancta prodeuntium.

PEregrini ad loca sancta profecturi, antequam discedant iuxta veteris Ecclesiæ institutum, deberent accipere patentes, seu commendatitias litteras à suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, & rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum confessione, & audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam deuotè suscipiunt. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos, dicit sequentes preces.

Antiphona. In viam pacis.

Canticum Zachariæ. *Luca 1.*

BEnedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.
Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui à sæculo sunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium, qui oderũt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: seruiamus illi.

In sanctitate & iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

Repetitur Antiph. In viam pacis, & prosperitatis, dirigat vos omnipotens & misericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, vt cum pace, salute, & gaudio, reuertatis ad propria. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Benedictus Dominus die quotidie. ℟. Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum. ℣. Vias tuas Domine, demonstra nobis. ℟. Et semitas tuas edoce nos. ℣. Vtinam dirigantur viæ nostræ. ℟. Ad custodiendas iustificationes tuas. ℣. Erunt prauа in directa. ℟. Et aspera in vias planas.

nas. ℣. Angelis suis Deus mandauit de te. ℟. Vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

DEvs, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quiq; tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue eis quæsumus, iter prosperum, tempusq; tranquillum, vt Angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergunt locum, ac demum ad æternæ salutis portum fæliciter valeant peruenire.

DEvs, qui Abraham puerum tuum de Vr Chaldæorum eductũ, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, vt hos famulos tuos custodire digneris. Esto eis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu vmbraculum, in pluuia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in aduersitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; vt te duce, quò tendunt, prosperè perueniant, & demum incolumes ad propria reuertantur.

ADesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, vt familia tua per viam salutis incedat, & beati Ioannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perueniat, Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

EXaudi Domine, Preces nostras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atq; misericordiam tuam, sicut vbiq; es, ita vbiq; largire; quatenus à cunctis aduersitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pax, & benedictio ✠ Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus

Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

Deinde aſpergantur aqua benedicta.

Quod ſi vnus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero ſingulari; ac ſi Sacerdos ipſe, qui benedicit, fuerit ſocius peregrinationis, dicat in perſona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

Benedictio Peregrinorum, poſt reditum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
Antiph. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Pſalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius.
Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.
Filij tui ſicut nouellæ oliuarum: in circuitu menſæ tuæ.
Ecce ſic benedicetur homo: qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Benedicti qui veniunt in nomine Domini. ℟. Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram. ℣. Reſpice Domine in ſeruos tuos, & in opera tua. ℟. Et dirige eos in viam mandatorum tuorum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

LArgire, quæsumus Domine, famulis tuis, indulgentiam placatus, & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deseruiant.

OMnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitæq; dispositor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire subsidium: vt quos incolumes proprijs laboribus reddidisti, tua facias protectione securos.

DEvs humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, vt per eos, in quibus habitas, tuum nobis sentiamus aduentum. Per Dominum nostrum, &c.

Deinde aspergatur aqua benedicta à Sacerdote dicente:

Pax, & benedictio ✠ Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, descendat super vos, & maneat semper. Amen.

BENEDICTIONES ESCVLENTORVM, præsertim in Pascha.

Benedictio Agni Paschalis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEvs, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi iussisti, in similitudinem Domini nostri Iesu Christi, & vtroq; postes domorum de sanguine eiusdem Agni perungi præcepisti: ita benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui tecum viuit, &c. ℟. Amen.

Et mox aspergat aqua benedicta.

Benedictio Ouorum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus.

SVbueniat, quæsumus Domine, tuæ benedictionis ✠ gratia, huic ouorum creaturæ, vt cibus salubris fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, qui tecum viuit, & regnat, in sæcula sæculorũ. ℟. Amen Aspergat aqua benedicta.

Benedictio Panis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus.

DOmine Iesu Christe, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, benedicere ✠ dignare panem istum, sicut benedixisti quinq; panes in deserto, vt omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem. Qui viuis, & regnas, in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Et aspergat aquâ benedicta.

Alia benedictio panis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione: vt sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis, atq; contra omnes morbos, & vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per Domi-

Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, panem viuum, qui de cœlo descendit, & dat vitam, & salutem mundo: & tecum viuit, & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Aspergat aqua benedicta.

Benedictio nouorum fructuum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine, hos nouos fructus N. & præsta: vt qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis & animæ salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

Benedictio ad quodcunq; comestibile.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine, creaturam istam N. vt sit remedium salutare generi humano: & præsta, per inuocationem sancti nominis tui, vt quicunq; ex ea sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrū. ℟. Amē.

Aspergat id aqua benedicta.

Benedictio Olei simplicis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram. Exorcismus.

EXorcizo te creatura olei, per Deum Patrem ✠ omnipotentē, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

Omnis virtus aduersarij, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma sathanæ eradicare, & effugare ab hac creatura olei, vt fiat omnibus, qui eo vsuri sunt, salus mentis & corporis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & Iesu ✠ Christi filij eius Domini nostri, & Spiritus sancti ✠ paracliti, & in charitatem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotēs, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum seruitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, benedicere ✠ & sanctificare ✠ hanc creaturam olei, quam ex oliuarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandâsti, quatenus sanitate percepta, tibi Deo viuo & vero gratias agerent: præsta quæsumus, vt hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus ✠ vsi fuerint, ab omni languore, omniq; infirmitate, atq; cunctis insidijs inimici liberentur, & cunctæ aduersitates separentur à plasmate tuo, quod pretioso sanguine Filij tui redemisti, vt nunquam lædatur à morsu serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate, &c.

Aspergat oleum aqua benedicta.

BENEDICTIONES AB EPISCOPIS, vel alijs facultatem habentibus, faciendæ.

Benedictio Sacerdotalium indumentorum in genere.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Omni-

OMnipotẽs sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum, Pontificalia, & Sacerdotalia, seu Leuitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem, & decorem nominis tui, fieri decreuisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & hæc indumenta Sacerdotalia desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione, per nostræ humilitatis seruitium, purificare, ✠ benedicere, ✠ & consecrare ✠ digneris, vt Diuinis cultibus, & sacris mysterijs apta, & benedicta existant: his quoq; sacris vestibus, Pontifices & Sacerdotes, seu Leuitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus, malignorum spirituum muniti, & defensi esse mereantur, tuisq; mysterijs aptè & condignè seruire, & inherere, atq; in his tibi placitè & deuotè perseuerare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEvs inuictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator, ac sanctificator: intende propitius preces nostras, & hæc indumenta, Leuiticæ, Sacerdotalis, & Pontificalis gloriæ, ministris tuis fruenda, tuo ore proprio benedicere ✠ sanctificare ✠ & consecrare ✠ digneris: omneq; eis vtentes, tuis mysterijs aptos, & tibi in eis deuotè ac laudabiliter seruientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Iesum, &c. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, & Leuitis, in vsum tabernaculi fœderis necessaria, Moysen famulum tuum agere iussisti, eumq; spiritu sapientiæ ad id peragendum repleuisti: hæc vestimenta in vsum, & cultum mysterij tui, benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ digneris, atq; ministros Altaris tui, qui ea induerint, septiformis spiritus gratia dignanter repleri, atq; castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum ministerij congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

Benedictio mapparum, siue linteaminum Altaris.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi Domine, preces nostras, & hæc linteamina sacri altaris vsui præparata, benedicere ✠ & sanctificare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui Moysen famulum tuum, ornamenta, & linteamina, facere per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in vsum ministerij, & tabernaculi fœderis: benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ digneris hæc linteamina, ad tegendum, inuoluendumq; altare gloriosissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Deinde aspergit ea aqua benedicta.

Benedictio Corporalium.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CLementissime Domine, cuius inenarrabilis est virtus, cuius mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue quæsumus, vt hoc linteamẽ tuæ propitiationis benedictione ✠ sanctificetur, ad consecrandum super illud corpus & sanguinem, Dei & Domini nostri Iesu Christi Filij tui. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, &c. ℟. Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, benedicere ✠ sanctificare ✠ & consecrare ✠ digneris linteamen istud, ad tegendum inuoluen-

uoluendumq; corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi Filij tui. Qui tecum viuit & regnat,&c. ℟. Amen.

O remus.

OMnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde; vt per nostram benedictionem ✠ hoc linteamen sanctificetur, & corporis, ac sanguinis Redemptoris nostri, nouũ sudarium Spiritus sancti gratia efficiatur. Per eundem,&c. in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, &c. ℟. Amen.

Et aspergit aqua benedicta.

Benedictio tabernaculi, seu vasculi, pro Sacrosancta Eucharistiâ conseruanda.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

OMnipotens sempiterne Deus, Maiestatem tuam supplices deprecamur; vt vasculum hoc pro corpore Filij tui Domini nostri Iesu Christi, in eo condendo fabricatum, benedictionis ✠ tuæ gratia dicare digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Deinde aspergit illud aqua benedicta.

Benedictio nouæ Crucis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

ROgamus te, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt digneris benedicere ✠ hoc signum Crucis, vt sit remedium salutare

salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen, & protectio, ac tutela, contra sæua iacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrũ. ℟. Amen.

Alia Oratio idem.

BEnedic ✠ Domine, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à dæmonum potestate, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. Hic aspergat aqua benedicta. Sanctificetur hoc signum Crucis, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, vt orantes, inclinantesq; se propter Dominum ante istam Crucem, inueniant corporis & animæ sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem, deuotè adorat & osculatur, & idem faciunt quicunq; voluerint.

BENEDICTIO IMAGINVM IESV CHRISTI Domini nostri, B. M. V. & aliorum Sanctorum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo

Oremus

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines, siue effigies sculpi, aut pingi non reprobas, vt quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus, & sanctitatem, ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc, quæsumus, imaginem, seu sculpturam, in honorem & memoriam vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, vel Beatissimæ Virginis Mariæ, Matris Domini nostri Iesu Christi, vel B. N. Apostoli tui, Martyris, vel Confessoris, aut Pontificis, aut Virginis adaptatam benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris: & præsta, vt quicunq; coram illa vnigenitum Filium tuum, vel Beatissimam Virginem, vel glorio-

glorioſum Apoſtolum, ſiuè Martyrem, ſiue Confeſſorem, aut Virginem, ſuppliciter colere, & honorare ſtuduerit; illius meritis, & obtentu, à te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineat in futurum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrũ. ℟. Amen.

Vltimo aſpergat aqua benedicta.

RITVS BENEDICENDI, ET IMPONENDI primarium lapidem pro Eccleſia ædificanda, ſeruandus à Sacerdote facultatem habente ab Epiſcopo.

ECcleſiam ex Epiſcopi authoritate tantùm, iuxta Sacrorum Canonum Decreta, ædificari fas eſt. Si verò Sacerdos eius ædificationis primarium lapidem benedicendi poteſtatem habens, eiuſmodi functionem peragat, hunc ritum ſeruabit.

Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam crucem in loco, vbi debet eſſe Altare, figat ipſe, vel alius Sacerdos. Sequenti verò die lapis in Eccleſiæ fundatione ponendus, qui debet eſſe quadratus, & angularis, benedicatur hoc modo:

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluuiali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, ſalem, & aquam benedicit, niſi prius in promptu habeat iam benedictam ordinaria benedictione; vt ſupra pagina 2. & interim dum cantatur à Clericis Antiphona cum Pſalmo ſequenti, aſpergit locum, vbi crux poſita eſt, cum aqua benedicta.

Antiph. Signum ſalutis pone Domine Ieſu Chriſte, in loco iſto, & non permittas introire Angelum percutientem.

Pſalmus 83.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Sicut erat, &c.

Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum, dicit:

Oremus.

DOmine Deus, qui licet cœlo & terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, vbi nomen tuum iugiter inuocetur, locum hunc, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & B. N. (nominando Sanctum, vel Sanctam, in cuius honorem, ac nomen, fundabitur Ecclesia) omniumq; Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumq; conserua; & qui dilecti tui Dauid deuotionem filij sui Salomonis operecompleuisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantq; omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrū, &c. in vnitate Spiritus sancti Deus, &c. ℟. Amen.

Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum &

lum & terram. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vsq; in sæculum. ℣. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes. ℟. Hic factus est in caput anguli. ℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen. Oremus.

DOmine Iesu Christe Fili Dei viui, qui es verus omnipotens Deus, splendor & imago æterni Patris, & vita æterna, qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, & immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma; & tu, qui es principium & finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creauit, sis, quæsumus, principium, & incrementum, & consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem & gloriam tui nominis inchoari. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, & accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum crucis, dicens: In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen. Quo facto, dicit:

Oremus.

BEnedic ✠ Domine, creaturam istam lapidis, & præsta, per inuocationem sancti tui nominis, vt quicunq; ad hanc Ecclesiã ædificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, & animæ medelam percipiant. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Postea dicantur Litaniæ ordinariæ sine Orationibus in fine positis; quibus dictis, parato cæmento, & cæmentario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam;

Mane surgens Iacob, erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper; votum vouit Domino: Verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ: frustra vigilat qui custodit eã.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, & ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens:

In fide Iesu Christi, collocamus Lapidem istum primarium in hoc fundamento. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, vt vigeat vera fides hic, & timor Dei, fraternaq; dilectio, & sit hic locus destinatus orationi, & adinuocandum, & laudandum nomen eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia, &c. ℟. Amen.

Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento, postea Sacerdos spargit super lapidem aquam benedictam, dicens: Asperges me Domine, &c. Psal. Miserere mei Deus, &c. vt in prima parte, pagina 69. dicitur totus, cum Gloria Patri. Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si verò non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata. Et incipiens aspergere, inchoat Antiphonam, Clero prosequente.

O quam metuendus est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.

Psalmus 86.

FVndamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Gloria-

Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas Dei.
Memor ero Rahab, & Babylonis: scientium me.
Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.
Nunquid Sion dicet; Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum: horum qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium: habitatio est in te.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.

Interim aspergendo procedit vsq; ad fundamenta aperta, seu designata, & repetita Antiphona, stans dicit: Oremus. Ministri. Flectamus genua. ℟. Leuate.

Omnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè, perfectèq; ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, vt quidquid modo visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas, sitq; ad nostræ humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum, &c. ℟. Amen.

DEvs, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum Maiestati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cælestia, vt quod te iubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

RITVS BENEDICENDI NOVAM ECclesiam, seu Oratorium publicum, vt ibi sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit.

SAcerdos nouam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, vt in ea diuinum Sacrificium Missæ ritè celebretur, stola ac pluuiali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus & Clericis adhibitis, prælata cruce media inter

inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorij ianuam, vbi stans capite aperto, conuersus ad eam, dicit absolutè Orationem:

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere; vt cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam: Asperges me Domine, &c. & Clerus alternatim dicit Psalm. Miserere mei Deus, in fine Gloria Patri.

Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua, & nuda, & pariter altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio) & Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi, ad eius dexteram se conuertens, parietes Ecclesiæ in superiori parte, & in fundamentis, cum aqua benedicta aspergit dicens: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.

Reuersi ad locum, vnde Processio initium habuit, repetita Antiphona à Clero, Sacerdos stans, vt prius, versus Ecclesiam, dicit: O remus. & Ministri: Flectamus genua. ℟. Leuate.

Oratio.

DOmine Deus, qui licet cœlo & terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, vbi nomen tuum iugiter inuocetur locum hunc: quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati N. omniumq; Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ, ab omni inquinamento purifica, purificatumq; conserua; & qui dilecti tui Dauid deuotionem in filij sui Salomonis opere compleuisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantq; omnes hic nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum, &c.

Qua finita oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes ad altare magnus procedunt, Litanias decantantes.

Vbi dictum fuerit: Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Surgit

Surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit:

Vt hanc Ecclesiam, & Altare, ad honorem tuum, & nomen Sancti tui N. purgare, & benedicere ✠ digneris, Te rog: audi nos.

Cùm dicit benedicere, manu dextera benedicit Ecclesiã, & altare, deinde vt priùs genuflectit, donec perficiantur Litaniæ; & Cantores sequuntur:

Vt nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos. Fili Dei, Te rogamus audi nos. Agnus Dei, &c.

Dicto vltimo Kyrie eleison. Sacerdos stans dicit Oremus. Ministri, Flectamus genua. ℟. Leuate.

PRæueniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Tum distans ab altari congruenti spatio genuflexus, & se signans dicit: Deus in adiutorium meum intende. & statim surgit Clero respondente: Domine ad adiuuandum me festina. ipse verò stans dicit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Chorus respondet: Sicut erat in principio, &c. Postea Sacerdos dicit: Oremus. Ministri, Flectamus genua. ℟. Leuate.

Oratio.

OMnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè, perfectèq; ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immẽsam clementiam tuam, vt quidquid modo visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas; sitq; ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum, &c.

His dictis inchoat Antiphonam, Benedic Domine domum istam, nomini tuo ædificatam. cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet:

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer clamaui: & exaudiuit me.

Domine

Domine libera animam meam à labijs iniquis: & à lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam?
Sagittæ potentis aautæ: cum carbonibus desolatorijs.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.
Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.
Gloria Patri, &c.

Psalmus 120.

Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.
Auxilium meum à Domino: qui fecit cœlum & terram.
Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel.
Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.
Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.
Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuā Dñs.
Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
Gloria Patri, &c.

Psalmus 121.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dñi ibimus.
Stantes erant pedes nostri: in atrijs tuis Ierusalem.
Ierusalē, quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsū.
Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini: testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.
Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.
Rogate quæ ad pacē sunt Ierusalem: & abūdantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.
Propter domum Domini Dei nostri: quæsiui bona tibi.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

Anti-

Antiph. Benedic Domine domum istam nomini tuo ædificatæ.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori & inferiori, inchoans aspersionem à parte Euangelij, dicens: Asperges me Domine, &c. tū ad altare reuersus, dicit: Oremus. lectamus genua. ℟. Leuate.

DEvs, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, vt ab omnibus hic nomen tuum inuocantibus, auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Ecclesia verò quamuis à simplice Sacerdote, vt supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

RITVS RECONCILIANDI ECCLESIAM violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata.

ECclesiæ violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo: Altare Ecclesiæ omninò nudetur, prouideaturque, vt Ecclesia possit liberè circumiri, tàm exteriùs quàm interiùs, si fieri potest, paretur vasculum cum aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola & pluuiali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, procedit ad primariam Ecclesiæ portam, vbi stans Anitiphonā incipit, dicens: Clero prosequente, Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Psalmus, Miserere mei Deus. totus cum Gloria Patri. Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona & Psalmus dicuntur, Sacerdos cum aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cæmeterium simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ad terram Cæmeterij, præsertim ad loca contaminata. Quo facto, redit ad locum, vbi incepit aspergere, & stans dicit:

Oremus.

OMnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè, perfectèq; ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immen-

sam clementiam tuam, vt quod modo visitaturi sumus, visites, & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas, sitq; ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, & ingreditur Ecclesiam cum Clero cantando eas; acceditq; ante altare maius, coram quo genuflectit, cùmq; dictum fuerit: Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam, &c. ℟. Te rogamus audi nos. Sacerdos surgit, & clara voce dicit:

Vt hanc Ecclesiam, altare hoc, & cæmeterium, purgare ✠ & reconciliare digneris, Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, rursus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum altare dicit: Oremus. & Ministri. Flectamus genua. ℟. Leuate.

PRæueniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, & se signo crucis muniens, clara voce dicit: Deus in adiutorium meum intende. tum surgit, & Chorus, seu astantes Clerici respondent: Domine ad adiuuandum me festina. & Sacerdos stans dicit: Gloria Patri, &c. ℟. Sicut erat in principio, &c. Quo dicto Sacerdos inchoat, Clero prosequente, Antiphonam:

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius. Psal.

In Ecclesijs benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

Repetitur Antiphona.

Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu. repet: Ant.

Principes Iuda, duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephtali. Repetitur Antiphona.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Repetitur Antiphona.

A templo sancto tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera.

Repetitur Antiphona. Incre-

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento. repet: Ant.

Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto; Æthiopia præueniet manus eius Deo. Repetitur Ant.

Regna terræ cantate Deo: psallite Domino. Repetit: Ant.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli: ad orientem.

Repetitur Antiphona.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Repet: Ant.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Et non dicitur Gloria Patri. sed Antiphona repetitur.

Interim dum Antiphona & Psalmus prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo, aspergit etiam specialiter loca contaminata, quo facto, stans in presbyterio versus ad altare dicit:

DEvs, qui in omni loco dominationis tuæ, clemẽs, & benignus purificator assistis: exaudi nos, quæsumus, & concede, vt in posterum inuiolabilis huius loci permaneat benedictio, & tui muneris beneficia, vniuersitas fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

Simplex Sacerdos, tantum ex priuilegio Sedis Apostolicæ, potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare. Et tunc vtatur ritu in Pontificali præscripto. Procedatq; indutus amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali albi coloris: adhibitis secum alijs Presbyteris, & Clericis superpelliceis indutis, cum aqua ab Episcopo ad hunc vsum ritè benedicta.

RITVS BENEDICENDI NOVVM CÆmeterium, per Sacerdotem ab Episcopo delegatum.

PRidie quam fiat benedictio, ponitur in medio Cæmeterio benedicendo lignea Crux alta ad staturam hominis, & ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum vnum, aptus ad affigendum illis tres candellas.

Sequenti die, mane Sacerdos in Sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquæ benedictæ, aspergillum, & thuribulum cum incensi nauicula, & hoc Rituali libro & tribus candelis cereis, procedit ad Cæmeterium benedicendum ante Crucem in medio posiram, & affiguntur, & accenduntur tres candelæ super ligneum paxillū, & Sacerdos ante Crucem & candellas stans, discooperto capite dicit:

Oremus.

OMnipotens Deus, qui es custos animarum, & tutela salutis, fides credentium: respice propitius, ad nostræ seruitutis officium, & ad introitum nostrum, purgetur, ✠ benedicatur, ✠ & sanctificetur ✠ hoc Cæmeterium, vt humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia, in magna iudicij die, simul cum felicibus animabus, mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis, dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, cæteris respondentibus, & cùm dictum fuerit, Vt omnibus fidelibus defunctis, &c. Te rogamus audi nos. Sacerdos surgit, & clara voce dicit, producens manu signum Crucis: Vt hoc Cæmeterium purgare, & benedicere ✠ digneris, Te rogamus, &c.

Deinde Sacerdos, vt prius, genuflectit, & Litaniæ perficiuntur.

Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit aqua benedicta, dicens Antiphonam: Asperges me Domine, &c. Psal: Miserere mei Deus, &c. dicitur totus ab astantibus, cum Gloria Patri, &c. vt in prima parte pagina 69. quo dicto, repetitur Antiph. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit & perambulat totum Cæmeterium, incipiens ad eius dexteram, aspergens vbique aqua benedicta; quo facto, redit ante Crucem, & ad ipsam respiciens, dicit:

Oremus.

DEvs, qui es totius orbis conditor, & humani generis redēptor, cunctarumq; creaturarum, visibilium & inuisibilium, perfectus dispositor: te supplici voce, ac puro corde exposcimus, vt hoc Cæmeterium, in quo famulorum, famularumq; tuarum, corpora quiesce-

quiescere debent, post curricula huius vitæ labentia, purgare, ✠ benedicere, ✠ & sanctificare ✠ digneris; quiq; remissionē omnium peccatorū, per tuam magnam misericordiam in te confidētibus, præstitisti, corporibus quoq; eorum in hoc cæmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus, consolationem perpetuam largiter impartire. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Tunc figit in summitate Crucis vnam ex tribus candelis ardentibus & alias duas similiter ardentes in duobus brachijs eiusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, & aspergens aquâ benedictâ, redit cum ministris in sacristiam.

ORDO RECONCILIANDI CÆMETERIUM violatum, siue Ecclesiæ contigium sit, siue separatum, vbi Ecclesia non est polluta.

MAne diei, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis alijs Sacerdotibus, & Clericis indutis superpelliceis, in sacristia, aut alio decenti loco vestitus amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali albi coloris, accedit ad medium Cæmeterij, Clerico vasculum aquæ benedictæ, & aspergillum deferente, & ibi super tapete genuflectit vna cum ministris, & Cantores, alijq; omnes genibus flexis, dicunt Litanias: in quibus cùm dictum fuerit: Vt omnibus fidelibus defunctis, &c. Te rogamus audi nos: Sacerdos surgit, & manu dextra producens signum Crucis super Cæmeterium, clara voce dicit:

Vt hoc Cæmeterium reconciliare ✠ & sanctificare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, vt prius genuflectit, (a)ntoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos accepto aspergillo cum aqua benedicta, inchoat Antiphonam: Asperges me Domine hyssopo, Clero prosequente, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Psal: Miserere mei Deus, &c. dicitur totus sine Gloria Patri. in fine repetitur Antiph: Asperges.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cæmeterium, incipiens ad eius dexteram, aspergens vbiq; aqua benedicta, præsertim in loco, vbi violatio

violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum, vbi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi stãs dicit: Oremus. & Ministri: Flectamus genua. ℣. Leuate.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui, in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi huius mysterij tui. Tu es enim Domine, figulus noster: tu quietis nostræ æger: tu agri huius pretiũ: Tu dedisti etiã, & suscepisti: Tu de pretio tui viuifici Sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus iudicator, iudicij tui superabũdantissimus miserator, iudicium tuæ iustissimæ seueritatis abscondens, post miserationẽ tuæ præredemptionis adesto exauditor, & effector nostræ reconciliationis: hocq; Cæmeterium peregrinorũ tuorũ cælestis patriæ incolarum expectantiũ, benignus purifica, & reconcilia, & his tumulatorum & tumulandorum corpora, de potentia & pietate tuæ resurrectionis, ad gloriam incorruptionis, nõ damnans, sed glorificans, resuscitã. Qui venturus es iudicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

IN FESTO S. AGATHÆ.

Benedictio panis & aquæ, contra ignis periculum.

Sacerdos celebrans Missam de Festo in Canone maiori, antequam proferat illa verba: Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas: conuersus ad populum, panem & aquam tenentem, dicit Psal: 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis. Confi-

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & vsque in sæculum.
℣. Ora pro nobis beata Agatha. ℟. Vt digni efficiamur, &c.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor, &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe Fili Dei vivi, qui es panis vivus, qui de cœlo descendisti, bene ✠dic, & [illegible] panes, & aquam, in honorem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris; vt vbicunq; contra ignem comburentem missa vel posita fuerint, illicò ignis euanescat, & penitus extinguatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, per intercessionem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris tuæ, descendat super has creaturas, & maneat semper. Amen.

Postea aspergat ea aquâ benedictâ, & reuersus ad altare, prosequitur in Canone, vbi desierat: Per quem hæc omnia Domine [illegible] per Dominum creas, &c. vsq; ad finem Missæ. Hoc pane vescantur eodem die in tempestatis, in domo constituti. Aquam verò seruent, vt tempore necessitatis in ignem injciatur.

De Pane.

DE PROCESSIONIBVS.

PVblicæ, Sacræq; Processiones seu Supplicationes, quibus ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto, Catholica Ecclesia, vel ad excitandum fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eiq; gratias agendas, vel ad Diuinum auxilium implorandum, vti consueuit, qua par est religione, celebrari debent: continent enim magna ac diuina mysteria, ac salutares Christianæ pietatis fructus, eas piè exequentes, à Deo consequuntur; de quibus fideles prænonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant inprimis Sacerdotes, aliiq; Ecclesiastici Ordinis, vt in his Processionibus ea modestia ac reuerentia, tum ab ipsis, tum ab alijs adhibeatur, quæ pijs & religiosis huiusmodi actionibus maximè debetur.

Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel alijs sacris vestibus, sine galeris, nisi pluuia cogente, induti, grauiter, modestè, ac deuotè, bini suo loco procedentes, sacris precibus vacent, nemo remoto risu, mutuoq; colloquio, & vago oculorum aspectu, populum etiam ad pietatem excitet, sed pie deuotèq; precandum inuitent.

Laici à Clericis, fœmina à viris separatæ, orantes prosequantur.

Deferatur Crux, & vbi fuerit consuetudo, vexillum sacris imaginibus ad arbitrium, non tamen sacrum mutari seu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abusus, sæpiùs esculenta & poculenta deferendi in sacris Processionibus, agrisq; lustrandis, & suburbanis Ecclesijs visitandis, tollere omnino studeant: ac fidelis præsertim die Dominica, quæ proximè Rogationes antecedit, quam hæc dedeceat corruptela, sæpiùs admoneant.

Processiones priusquam fiant, deinde Missa solenniter celebrari: nisi aliter ob grauem causam, interdum Ordinario, vel Clero videatur.

Processiones autem quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, vt in Festo Purificationis Beatæ MARIÆ semper Virginis, & in Dominica Palmarum, & in Litanijs maioribus in festo S. Marci: & in minoribus Rogationum, in quibus ante Ascensionem Domini; & in die festo Corporis Christi, vel alijs diebus pro consuetudine Ecclesiarum.

Quædam vero sunt extraordinariæ, vt quæ varijs ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur.

DE PROCESSIONIBVS DOMINICIS diebus, iuxta ritum antiquum Prouinciæ.

ANte Missam maiorem Sacerdos celebraturus super albam, cum reliquis pluuiali coloris tunc competentis, indutus, ritu solito procedit: & ante altare inclinatus, vel si in altari fuerit Corpus Christi, genuflexus erigit sese; & accepto à Diacono, vel Ministro, aspersorio, aquâ benedictâ moderatè (quod in alijs aspersionibus obseruabit) imbuto, inchoabit Ant:

Asper ges me.

Choro autem, vt infra, reliquum prosequente; ipse mox factâ ante altare reuerentia, aspergat illud ter, nimirum in medio, & vtroq; cornu Euangelij & Epistolæ. Deinde aspergit seipsum & ministros, ex quibus vnus [illegible]

Aspergesme Domine, hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Psal. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen. Repetitur Antiph. Aspergesme.

Postea per eorum ordines celebrans dicit versiculum, quem ceteri concinunt:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.

Deinde

℣. Exaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ℟. Et mittere dignare sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet habitantes in hac domo: ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Præsta nobis, quæsumus Domine, hæc aqua aspersionis [illegible] corporis, integritatem mentis, tutelam, salutem, [illegible] spei, corroborationem fidei. Per Christum [illegible] ℟. Amen.

C

Hoc modo peragitur aspersio per totum Annum, exceptis Dominicis in Passione, & Palmarum: in quibus, post versum **Miserere.** non dicitur **Gloria Patri,** sed loco eius repetitur integra Antiph: **Asperges me.**

In Dominica Passionis & Palmarum, supra scripta Antiphona, sub tono sequenti inchoatur.



A Dominica Paschæ, vsq; ad Domin: Pentecostes inclusiuè, loco **Asperges me:** canitur Antiphona.



Egredientem de templo à latere dextro, Alleluia. Et omnes ad quos pervenit aqua ista, salui facti sunt, & dicent, Alleluia, alleluia. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. ℣. Gloria Patri. Et repetitur Antiph. Vidi aquam. Postea aspergitur, vt supra, & Antiphona dicitur.

℣. Domine, apud te est fons vitæ, Alleluia.

℟. Et in lumine tuo videbimus lumen, Alleluia.

Oremus

Exaudi nos, quæsumus omnipotens Deus, vt qui Paschalia festa peragimus, cælestibus deliciis accensi, fontem vitæ sitiamus. Iesum Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Oratore, sequitur vniuersalis Ecclesiæ vsus in hac Provincia, conformiter Cæremoniali Episcoporum, quæ habentur apud Durandum, in suo

Rationali, *lib: 6. c. 18.* cõtinet memoriã Dominicæ Resurrectionis tali die factæ. In hac autem Processione fit aspersio pauimenti templi, vel cæmeterij, & cantus Responsorij, quod in officio illius diei est vltimum: quorũ frequentissimum, **Duo Seraphim:** infra adnotatur. Deinde decantetur Antiphona: **Pax æterna,** sine temerarijs additionibus, vt infra adnotatur. Decursus autem Processionis, vel stationis, non absre est, vt modo solito Antiphona de Patrono Ecclesiæ, vel Antiph: **Saluator mundi.** finiatur.

Responso: in Processionibus, à Dom: Trinit: ad Aduen. & in Dominicis quæ supersunt, post octa: Epiph: ad Septuages: decantandum.




ter ra glo ri-
a e ius. ℣. Tres sunt qui testimo-


nium dant in cœ lo, Pater, Verbum, & Spiri-
tus san ctus, & hi tres v num sunt.


San ctus, &c. Gloria Pa tri,
& Fi lio, & Spiri tui san cto.


Flexis

Pax


Pax æ ter na. Chor A b æ-
terno Pa tre hu ic do mui; pax
peren nis verbũ Patris, ſit pax hu-
ic do mui, pa-
cem pius conſola tor hu- ic præ-
ſtet do-

℣. Beati qui habitant in domo tua Domine.
℟. In sæcula sæculorum laudabunt te.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In Dedicatione Templi & Octaua eius, hæc Oratio dicitur.

VEniat, quæsumus Domine, super hanc habitationis domum charitas misericordiæ tuæ, vt ab omnibus hic inuocantes nomen tuum, protectionis tuæ sentiatur auxilium. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE PROCESSIONE IN DIE PVRIFICATIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

Completa benedictione, & distributione candelarum, vt in Missali Romano reformato, canitur Antiphona:

Chorus prosequitur.

LVmen ad reuelationem gentium.
Et gloriam plebis tuæ Israel. NUnc dimittis, &c. cum Gloria.

Postea fit Processio. Sacerdos celebrans imponit incensum in thuribulum. Et Diaconus vertens se ad populum, dicit in tono: Procedamus in pace. Chorus respondet: In nomine Christi, Amen.

Procedit autem Subdiaconus cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus cum Cruce, medius inter duos Acolythos, cum candelis accensis, sequitur Clerus per ordinem, vltimò celebrans cum candelis accensis in manibus, & cantando Antiphonas.

In Dnicas per annū finita Processione
post stationē intrando chorū cantet.
Antiphona sequens.




rum Martirũ et Confessorũ atque
Sancta rum Virginũ: Supplices petimus ut
nobis Omnibus e rua mur bonis
que Omnibus nunc et sem per per fru
i re a mur.

Ant.



A Dorna tha lamum, tu um Si-



on, & ſu ſcipe Re gem Chri ſtum: am-

plectere Mari am, quæ eſt cœle-

ſtis porta: ipſa enim por tat Regem glo-



riæ noui lu minis: ſubſiſtit

vir go, adducens ma nibus filiem an-

te luci ferum ge nitum; quē acci piens Si



meon in vlnas ſu as, prædica uit po-



pulis Do minum e um eſ ſe



vitæ & mortis, & Salua-

to rem mun di,

Alia Antiphona.

Eſpon ſum acce pit Si meon



à Spi ritu ſan cto,

non vi ſu rum ſe mortem, niſi videret Chri-

ſtum Do-



℣. Cùm inducerent puerum Ieſum parentes e-

ius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro



e o: ip ſe accepit e um in vl-



nas fu as.

Ingrediendo Eccleſiam, cantatur Reſponſorium.



O Brule runt pro eo Do mino



par tur turum: aut du os pul-



los col lum ba rum. Sicut

ſcri ptum eſt in le

ge Do-


ge Do mini. ℣. Postquã au tem
imple ti sunt di es purgatio nis Mari-
æ secundùm legẽ Moy si, tule runt illum in
Ie ru salem: vt si sterent e um Do-
mino. Sicut. ℣. Glo ria Pa-
tri, & Fi lio, & Spiri tui
san cto. Sicut

Finita Processione, celebrans & Ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Euangelium, & iterum ad eleuationem Sacramenti, vsque ad Communionem.

DE PROCESISONE die Cinerum.

CElebraturus Missam maiorem, loco planetæ, pluuiali violaceo, vel si deest, obscurioris coloris indutus, procedit more solito ad altare: vbi debet esse præparatum vasculum sufficiens cineris, ex palmis seu ramis, & frondibus (si possunt haberi) præteriti anni benedictis. Primò igitur genuflexus, in pede altaris inchoat Antiphonam.



Prosequitur Chorus.

EXaudi nos Domine.

Quoniam benigna est misericordia tua: & secundùm multitudinem miserationum tuarum, respice nos Domine. Psal. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam. ℣. Gloria Patri. Et repetitur Antiph: Exaudi nos Domine. Deinde in tono, quo dicuntur Orationes per horas diei, dicitur:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OremusOMnipotens sempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare supplicantibus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui bene ✠dicat, & sancti ✠ficet hos cineres, vt sint remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, atq; ante conspectu n diuinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixe; flagitantibus: & præsta, per inuocationem sanctissimi nominis

minis tui, vt quicunq; eos super se aspersérint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEvs, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissime respice, & hos cineres, quos causa proferendæ humilitatis, atq; promerendæ veniæ, capitibus nostris imponi decernimus, bene ✠ dicere pro tua pietate dignare: vt, qui nos cinerem esse, & ob prauitatis nostræ meritum, in puluerem reuersuros cognoscimus; peccatorum omnium veniam, & præmia pœnitentibus repromissa, misericorditer consequi mereamur. Per Christum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui humiliatione flecteris, & satisfactione placaris: aurē tuæ pietatis inclina precibus nostris, & capitibus seruorum tuorum, horum cinerum aspersione attactis, effunde propitius gratiam tuæ bene ✠ dictionis; vt eos, & spiritu compunctionis repleas, & quæ iustè postulauerint, efficaciter tribuas, & concessa perpetua stabilitate intactos manere decernas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Ninuitis in cinere & cilicio pœnitentibus, indulgentiæ tuæ remedia præstitisti: concede propitius: vt sic eos imitemur habitu, quatenus veniæ proquamur obtentu. Per Dominum, &c.

Completa Cinerum benedictione, primò imponitur cinis Sacerdoti celebraturo Missam ab alio Sacerdote, si adest, alioquin Sacerdos ipsemet genibus flexis coram altari sibiipsi cineres imponit; & cantatur ista Choro Antiphona.

Immutemur habitu, in cinere & cilicio, ieiunemus & ploremus ante Dominum: quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster.

Alia Antiphona. Inter vestibulum & altare, plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo: & ne dissipes ora canentium te Domine.

Sequitur Responsorium.

Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus: ne subitò præocupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, & inuenire non possimus. Attende Domine, & miserere: quia peccauimus tibi. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Domine libera nos. Attende Domine. ℣. Gloria, &c. Attende.

Sacerdos verò, dum cantantur Antiphonæ & Responsorium, primò ministris stantibus genibus flexis coram altari, imponit cinerem, dicens: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Postea veniunt alij, primò clerus per ordinem, deinde populus: & genibus flexis ante altare, sigillatim recipiunt cineres à Sacerdote, vt dictum est de ministris. Completa Cinerum datione, dicitur: Dominus vobiscū.

Oremus.

COncede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare ieiunijs: vt contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilijs. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c. ℣. Amen.

Postea iuxta antiquum morem huius Prouinciæ, singulis ferijs secundis, quartis, & sextis, quando officium fit de feria, vel nisi sit festum celebre, vel duplex, & in cantu solenni, ordine consueto peragitur Processio, ante vel ex ea Ecclesiam, decantando Litanias in eum qui sequitur modū.

LITANIARVM FORMVLA,

qui est antiquissimus, simul & efficacissimus, pro omnibus necessitatibus militantis Ecclesiæ, interpellandi modus.

Mini-

Ministri vel pueri intonant, Chorus verò prosequitur vel respondet: omnes genuflexi vsq; ad S. Mariam: & tunc assurgant, & progrediantur.



Yrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Resp: Chorus. Christe audi nos.
Christe exaudi nos.



Pater de cælis Deus.
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas vnus Deus,

Chorus. Miserere nobis,



Sancta Maria,

Chorus. Ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo virginum,

Chorus. Ora pro nobis.
Ora pro nobis.

Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,

Chorus.



Omnes sancti Angeli & Archàngeli, Orate pro nobis.
Omnes sancti beatòrum spirituum òrdines, Orate pro nobis.



Sancte Ioannes Baptìsta, Ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophètæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacòbe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacòbe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomeæ,
Sancte Matthèæ,
Ora pro nobis.



Sancte Simon,
Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
} Ora pro nobis.

Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ,
Omnes sancti discipuli Domini,
Omnes sancti Innocentes,
} Orate pro nobis.

Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancte Adalberte,
Sancte Stanislae,
Sancte Vencesslae,
Sancte Floriane,
Sancte Casimire,
} Ora pro nobis.

Sancti Fabiane & Sebastiane,
Sancti Ioannes & Paule,
Sancti Cosma & Damiane,
Sancti Geruasi & Prothasii,
Omnes sancti Martyres,
} Orate pro nobis

Sancte Syluester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
} Ora pro nobis

Omnes sancti Pontifices & Confessores, Orate pr
Omnes sancti Doctores, Orate pr

Sancte Benedicte,
Sancte Antoni,
Sancte Bernarde,
} Ora pro nobis.

Sancte Dominice,
Sancte Hyacincte,
Sancte Francisce,
B. Joannes Cant.
} Ora pro nobis.

Omnes Sancti Monachi & Eremitæ,
Omnes Sancti Sacerdotes, & Leuitæ,
} Orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena,
Sancta Anna,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Sancta Heduigis,
Sancta Elizabeth,
Sancta Vrsula cū sodalibus tuis,
} Ora pro nobis.

Omnes sanctæ virgines & viduæ, Orate pro nobis.



Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.



Propitius esto, Parce nobis Domine.
Exaudi nos Domine.

Ab omni



Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A ſubitanea & improuiſa morte,
Ab inſidijs diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A ſpiritu fornicationis,
A fulgure & tempeſtate,
A morte perpetua,
Per myſteriū ſanctæ incarnationis tuæ,
Per Aduentum tuum,
Per Natiuitatem tuam:
Per Baptiſmum & ſanctū ieiunium tuū,
Per Crucem & Paſſionem tuam,
Per mortem & ſepulturam tuam,
Per ſanctam Reſurrectionem tuam,
Per admirabilem Aſcenſionem tuam,
Per Aduentum Spiritus ſancti paracleti,
In die Iudicij,

Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

Peccatores,



Vt nobis parcas,

V t nobis indulgeas, Te rogamus, audi nos.
V t ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogam.
V t Ecclesiam tuam sanctam regere & conseruare digneris,
Te rogamus audi nos.
V t domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in
sancta religione conseruare digneris, Te rogamus audi nos.
V t inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogam.
V t Regibus & Principibus Christianis pacem, & veram concor-
diam donare digneris, Te rogamus audi nos.
V t cuncto populo Christiano pacem & vnitatem largiri digneris,
Te rogamus audi nos.
V t nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare
digneris Te rogamus audi nos.
V t mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, Te rogamus.
V t omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Te rogamus audi nos.
V t animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum no-
strorum, ab æterna damnatione eripias, Te rogamus.
V t fructus terræ dare, & conseruare digneris, Te rogamus.
V t omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digne-
ris, Te rogamus audi nos.
V t nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.



Christe



DE VELO ANTE MAIVS ALTARE.

NOtandum, quod in Ecclesijs huius Prouinciæ soleat velum extendi, inter altare & populum: quæ cærimonia quamuis sit particularis, non videtur tamen immutanda, eò quod & ratione non careat. Cùm enim prima Feria quarta Quadragesimali appenditur, videtur denotare statum pœnitentiæ, quando peccata diuiserunt inter Deum & populum: & Sacerdotes inter vestibulum & altare interpellant pro peccatis populi. Ideoq; congruit illud clausum tenere in officio de tempore, excepta Missa: & si quæ fuerint alia, ad quæ populus attendere debet. Quando verò rursus vltima Feria quarta Hebdomadæ Sanctæ deponitur, circa illa verba in Passione Domini: Et velum templi scissum est: potest per id intelligi (exacta iam quasi pœnitentia) efficacia passionis & mortis Christi, medium parietem maceriæ inter Deum & peccatorem dissoluentis. Simili fortasse ratione imagines Christi, Matris eius, & Sanctorum, per illud tempus clauduntur, aut velantur, vsq; ad Sabbatum Sanctum: excepta sanè Passionis Domini, quod Feria quinta Cœnæ Domini aperiatur. Reliqua quæ in officio Quadragesimæ obseruanda sunt, petantur ex Rubrica Breuiarij & Missalis Romani.

DE BENEDICTIONE PALmarum, & Processione in Dominica Palmarum.

SAcerdos sacris vestibus, & desuper loco Planetæ, pluuiali violaceo indutus, cum ministris, si adsunt, simili colore amictis, procedunt cum ramis; quos in medio & cornibus altaris deponunt. Postea fit aspersio Dominicalis more solito: qua peracta, conferuntur rami versus altare pro clericis & populo quantumplacet. Interea canitur à Choro.



Deinde dicit Sacerdos: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Et statim in eodem tono orationem Missæ Ferialis Oratio.

OEus, quem diligere & amare, iustitia est, ineffabilis gratiæ tuæ in nobis dona multiplica: & qui fecisti nos in morte Filij tui sperare, quæ credimus, fac nos eodem resurgente peruenire, quò tendimus. Qui tecum, &c.

Subscripta Lectio legitur in tono Epistolæ.

Lectio libri Exodi.

In die-

IN diebus illis: Venerunt filij Israël in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas. Profectiq; sunt de Elim: & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai, quintodecimo die mẽsis secundi, postquã egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen & Aaron in solitudine. Dixeruntq; ad eos filij Israel: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce ego pluam vobis panem de cœlo. Egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum; vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent, quod inferant: & sit duplum, quàm colligere solebant per singulos dies. Dixeruntq; Moyses & Aaron ad omnes filios Israël: Vespere scietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: & mane videbitis gloriam eius.

Deinde cantatur pro Graduali Responsorium.

COllegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dixerunt: quid facimus; quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic; omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. ℣. Vnus autem ex illis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit dicens: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitauerunt interficere eum, dicentes: Et venient.

Vel aliud Responsorium.

In monte Oliueti orauit ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua. ℣. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, voluntas tua.

Postea legitur Euangelium.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum

Sacerdótes & Le ui tæ. Omnes sancti Monā-
chi & Ere mitæ. San cta Mária Magda-
lê na. San cta An na. San cta A-
gnes. San cta Heduigis. Omnes sanctæ vírgines
& vi duæ. Omnes San cti Intercédite

pro no

pro nobis. Propitius esto, Parce nobis Do-



mine. Pro pitius esto. Exáudi nos Dómi-



ne. Ab omni malo, Libera nos Dómine,

Ab omni pecca to. A morte perpe tua.



Per mystérium sanctæ Incarnatiônis tuæ.



Per Aduentum tu um. Per Natiuitatem tu-



am. Per baptísmum & sanctum ieiunium tuum.

Per Cru-

Per Crucem & Passionem tu am. Per mortem



& sepultûram tu am. Per sanctam Resurrectionem

tu am. Per admirábilem Ascensionem tu-



am. Per aduentum Spíritus sancti Para cleti.



In die Iudi cij. Peccatores, Te ro-



gamus audi nos. Vt nobis par cas. Vt



Eccléſiam tuam ſanctam règere & conſeruáre dígne-

ris.



ris. Vt domnum Apoſtólicum, & omnes Ec-

cle ſiá ſticos órdines in ſancta reli gi o ne conſer-



ua re digne ris. Vt inî mí cos ſanctæ Ecclé-



ſi æ humili a re digne ris. Vt Régibus &



Princípibus Chriſtiánis pacem & veram concordiam do-



nare digne ris. Vt noſmetípſos in tu o ſan-

cto ſerui tio confortáre & conſer uare digne ris.

Vt omni-


Vt omnibus benefactóri bus nostris sempitérna bo-
na retri buas. Vt fructus terræ dare & conser-
uare digne ris. Vt ómnibus fidé li bus de-
functis requiem æternam donare digne ris.
Vt nos exau dire digne ris. Agnus Dei
qui tollis peccáta mun di, Par ce nobis Do-
mine. Agnus Dei qui tollis peccáta mun di,

Exaudi



Hic Cantores ſolemniter incipiunt: K yrie eleiſon. C hriſte eleiſon. K yrie eleiſon. & ter ſingula repetuntur, vt latius in Miſſali Romano.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

Apertio Sepulchri, & Proceſſio.

IN nocte Reſurrectionis Dominicæ circiter medium noctis, vel ſecundùm exigentiam officiorum Diuinorum, antequam ad Matutinas vel quiſpiam alius pulſus ſit, Prælatus cum alijs Presbyteris induti albis ſolemnioribus, vel ſuperpelliceis, ſtolis, & pluuialibus ſeu cappis, cum miniſtris incenſum & aquam benedictam ferentibus, vexillis præterea & accenſis candelis præcedentibus, ex Choro in ſilentio rectà ad ſepulchrum vadūt. Ad quod cùm peruenerint, flexis genibus, ſequentem Antiphonam cum Pſalmis cantent, voce primò ſubmiſſa.



Psalmus.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.
Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.
Gloria Patri, & Filio, &c.
DOmine, quid multi qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me; multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius.
TU autem Domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum. (eto suo.
VOce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sanEGo dormiui & soporatus sum & exurrexi: quia Dominus susc pit me.
NOn timebo millia populi circumdantis me, exurge Domine saluum me fac Deus meus. Quoniam

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, & Filio, &c. Repetitur Antiphona.

Deinde dicit Prælatus, Kyrie eleison. ℟. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. In resurrectione tua Christe, Alleluia.

℟. Cœlum & terra lætantur, Alleluia

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, Rex gloriæ, humilis in passione, potens in resurrectione, mortis inferniq; destructor, quod olim per Prophetas in scripturis promisisti, hodie deuicta morte resurgendo implesti; propter quod omnis cœlestis militiæ Spiritus, & totus terrarum orbis profuso mentis gaudio, exultando te resurgentem adorant, & glorificant: Tartareæ quoq; nimirum formidant, ac tremunt potestates. Nos autem tuæ dignationis humiles seruuli, glorioſæ resurrectionis tuæ memoriam vnanimi voto deuotissime celebrantes, ecce frequentes assumus, & exuberantis tuæ in nos charitatis memores, pias non continemus lachrymas. Respice, quæsumus, humilitatis nostræ obsequia: & præsta, vt detersis peccatorum nostrorum sordibus, in his Paschalibus solennijs tibi resurgere, ac sanctissimæ passionis ac resurrectionis tuæ, fructus capaces esse mereamur. Qui viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Finita Oratione, & semotis sigillo & linteo, sacerdos aspergit eum, incensat sepulchrum, ac promit crucem seu imaginem Resurrectionis, & tradit deferendas in processione ministris; ipse verò eleuans [illegible] Eucharistiam, incipit sequens Responsorium.



Vm Rex glo riæ.

Choro apertis ac iucundis vocibus ad finem prosequente, per Ecclesiã semel vel ter, donec cantus finitur, Processionem peragendo, necnon campanularum per præcedentes pueros superpelliceis indutos, tinnitu, & maiorum in turri, pro cuiusqs loci consuetudine, campanarum pulsu resonantia, Clero præcedente, & populo candelis accensis sequente.

Finito Responsorio, populus cantat: Chrystus zmartwych wstał iest/ &c. vel Germanicè: Christ ist erstanden/ &c. & reliqua secundùm locorum consuetudinem.

Facto circuitu, crucifixum in summo summi altaris gradu Sacerdotes tenentes, & sursum eleuantes, ter incipiunt Antiphonam: Surrexit Dominus de sepulchro. Chorus prosequitur. Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluia.

℣. In resurrectione tua Christe, Alleluia.
℟. Cœlum & terra lætantur, Alleluia.

O remus.

DEvs, qui nos Resurrectionis Dominicæ annua solennitate lætificas: concede propitius, vt per temporalia festa, quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem, &c.

Sub finem Antiphonæ, Sacerdos reponat Eucharistiam in medio altari, inchoato Matutino, ad Ciborium, cum reliqua, reuerenter deportandam. Alij etiam statuunt crucifixum vnà cum imagine Resurrectionis, (vbi habetur) in altari, vel in aliquo honorato & edito loco circa altare. Quibus peractis, Matutina solemniter continuentur.

Vbi autem vnus tantum Sacerdos fuerit, solus perficiat suprà dicta.

Finito Matutino, cantus Antiphona de Beata Virgine:

Regina cœli lætare, Alleluia, &c.

℣. Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluia.
℟. Quia surrexit Dominus verè, Alleluia.

O remus.

O remus.

DEvs, qui per resurrectionem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem, &c. ℟. Amen.

Finaliter canitur sequentia, seu Prosa: Victimæ Paschali laudes, &c. Post quemlibet versum populus in vulgari suo, canit canticum lætitiæ de Resurrectione Domini: Chrystus zmartwych wstał iest/ &c. Christ ist erstanden/ &c.

PROCESSIO PASCHATIS

ante maiorem Missam.

PRælatus cum ministris ad maius altare accedit, & facit reuerentiam ante illud, & statim fit aspersio cum cantu Responsorij: Vidi aquã. suisq; Versu & Oratione, vti dictum est suprà de Processionibus in Dominicis diebus. Deinde statim incipitur Responsorium: Cùm Rex gloriæ, &c. quod canit Chorus stando, vsq; dum dicitur: Aduenisti. Tunc progrediatur Processió è choro in cæmeterium cœlo sereno (aliâs intra Ecclesiam fit processio) præcedentibus vexillis & ceroferarijs, subsequenti verò imagine Resurrectionis à dextris, Crucifixi verò à sinistris. Quod in alijs Processionibus tempore Paschali obseruetur. In quibus per partes à Cantoribus Hymnus sequens decantetur:

Salue festa dies toto venerabilis æuo, qua Deus infernum vicit, & astra tenet.

Ecce renascentis testatur gratia mundi, omnia cum Domino dona rediisse suo.

Namq; triumphanti post tristia tartara, Christo vndiq; fronde nemus, gramina flore fauent.

Legibus inferni oppressis, super astra meantem laudant vtrę Deum, lux, polus, arua, fretum.

Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat, dantq; creatori cuncta creata precem.

Dum hi versus canuntur, tota Processio subsistit. Post quemlibet autem versum progrediente Processione, populus vulgarem cantum lætitiæ, de Resurrectione Christi, succinit.

Deinde fit vltima statio in medio Ecclesiæ, vbi canitur Antiphona: **Sedit Angelus.** cum suis versibus, quos alternatim canunt Sacerdotes & chorus, iuxta consuetudinem cuiusq; Ecclesiæ.

Hic ordo Processionis seruatur omnibus Dominicis diebus, vsque ad Festum Ascensionis Domini.

IN FESTO SANCTI MARCI Euangelistæ.

De Litaniæ Maioris & Minoris institutione, & causis.

Occurrunt hoc tempore Paschali Litaniæ, seu deprecationes Maiores & Minores: Maiores sunt in Festo sancti Marci, etiamsi festum cum eiusdem Missa contingat transferri, nisi incidant in diem Paschatis, tunc enim transferuntur in Feriam tertiam sequentem, ex Decreto S. Congregationis Rituum, 25. Septemb: Milleſimo, Sexcenteſimo, Vigeſimo ſeptimo. Dicuntur autem Maiores Litaniæ ad differentiam Minorum, de quibus mox dicetur, quas instituit Sanctus Gregorius Papa, non simpliciter, sed ad Aedem Sancti Petri; teste Baronio in Martyrologio, die 25. April. quæ etiam ante sanctum Gregorium erant annuæ, vt ipse testatur, initio Epistolarum lib: 2. vocans eas, annuas & maiores. Septiformem enim Litaniam instituerat Diuus Gregorius ad certas Ecclesias, distribuens Processionem in septem ordines; hoc est, Clericorum, Religiosorum, Monialium, puerorum, adolescentum, viduarum, & continentium, ac coniugatorum: idq; vt ait ardo Romanus propter imminentem cœlestis iræ mucronem, hoc est pestem inguinariam, qua obibant multi, etiam oscitando & sternutando morte repentina. Vnde & oscitantes digito super os formabant signum Crucis, & sternutantibus dicebatur: Deus te iuuet, *qui mores ad nos vsq; deuenerunt.*

Minores autem Litaniæ, id est Rogationes seu deprecationes, fiunt triduo, ante Ascensionem Domini, quæ celebrari iubentur, c. Rogationes. de con: dist: 3.

Meminit

Meminit earum D. Augustinus, ser. 173. de tempore, vocans eas, Dies compunctionis & pœnitentiæ. Vnde constat eas antiquiores esse, Maioribus Litanijs à S. Gregorio restitutis. Dicuntur autem hæ minores restitutæ, à S. Mamerto Viennensi Episcopo in Gallijs, ob incursionem luporum damna grauissima populis adferentium: quæ ideo appellatæ sunt Minores, quia à minori Episcopo, & in minori loco restitutæ, respectu sancti Gregorij, & Vrbis Romæ. Fiunt autem prædictæ Litaniæ ad peccata purganda, pacem impetrandam, pestilentiam auertendã, conseruationem frugum tunc è terra prodeuntium, & cæteras necessitates; quibus diebus fideles abstinentiam seruare, & lacticinijs semel in die vesci debẽt.

Moneant ergo Parochi populum, vt ad prædictos fructus spirituales & temporales consequendos, his Processionibus deuotè interesse studeat.

ORDO LITANIÆ MAIORIS, ET Processionis die Sancti Marci.

FInita maiori Missa, vel tempore, quod commodius videbitur, Sacerdos officians super albam & stolam pluuiali violaceo, vel simili indutus, tenens reliquias cum duobus ministris, sicut ad Missam ministrare solent, ante maius altare genuflexus, voce sonora, in tono dicit sequentem exhortatoriam Antiphonam:

ORemus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissoluat; peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, nauigantibus portum salutis indulgeat, & pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesq; depellat inimicos, & de manu inferni liberet nos propter nomen suũ. Alleluia.



EXurge Domine. Postea incipit in cantu solito sequentem Antiphonam.

Prosequitur chorus eodem cantu: Adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum, Alleluia. Psal. Deus, auribus nostris audiuimus.

uimus, patres nostri annunciauerunt nobis. ℣. Gloria Patri, &c.

Postea repetitur Antiphona ad Psalmum, vt prius.

℣. Peccauimus Domine cum patribus nostris.

℟. Iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

MIserere, quæsumus Domine, familiæ tuæ, & intercedentibus omnibus sanctis tuis, munera compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde chorus incipit Litaniam, suprà in die Cinerum positam, genu flexis omnibus, vsq; ad locum, Sancta Maria: tunc enim assurgitur. Cùm verò dicitur: Sancte Petre, &c. proceditur ordine processionis consueto, præcedentibus vexillis, & cruce Paschali, subsequente choro, & ordine puerorum, Cantorum, Sacerdotum, & vltimò populi. Processiones autem dirigantur ad Ecclesias, seu loca, secúdùm locorum consuetudinem. Cùm autem appropinquatur alicui Ecclesiæ, vel Oratorio, intermissa Litania, canitur Responsorium, vel Antiphona, quæ ex officio Romano maximè quadrat Patrono, vel Patronis eiusdem Ecclesiæ. Si autem fuerint ex Apostolis, Euangelistis, vel martyribus, tempore Paschali, cantetur Antiphona: Filiæ Ierusalem, venite, &c.

Congruum autem esset, vt tunc in eadem Ecclesia ordinaretur Missa, cui processio tota interesset, ad minus per Canonem maiorem, si tempus patitur. Finito cantu, officians, depositis reliquijs super altare, ante illud inter ministros genuflectat, similiter & reliqui; & per chorum decantentur Suffragia sequentia, vel aliqua eorum, pro ratione, & temporis opportunitate. Si verò non habentur propria, substituantur de communi, ex Officio Romano.

ANTIPHONÆ SVFFRAGIORVM Communium, cum suis Versibus & Collectis.

De Sancto Spiritu.



De San-

De S. Cruce.

Per signum Cru cis.

Tempore Paschali de S. Cruce.



Cru cem sanctam su bijt.

De B. Maria Virgine.

Re gi na cæ li.

Eadem sub alio cantu.



Regi na cæli.

Vel extra tempus Paschale.

San cta Mari a

De Apostolis Petro & Paulo.



Glo ri o si principes ter ræ.

Pro Sancto Marco.

Sancti tui Domine florebunt.

Si Patronus vel Patrona Ecclesiæ, in qua est statio, non est ex Sanctis hucusq; positis, inferatur hoc loco eius commemoratio per Antiphonam, Versum, & Collectam, infrà sibi competentem. Idem fiat immediatè post, de Sancto vel Sancta, si cuius Reliquiæ celebres habentur in eadem Ecclesia.

De S. Adalberto.

Per me rita san cti Adal ber ti.

De S. Stanislao.



Vir in clyte Sta



ni sla e.

De S Vencesiao.



E orde lingua.

De S. Floriano.

n Floriano la tuit.

De S. Eduigi.

He dui gis sancta in clyta.

Contr

Contra hostes Ecclesiæ, & Hæreticos.



Con te re Do mine.

Pro Rege.



Quo niam Rex noster.

Pro Serenitate vel Pluuia.



Domine Rex.

Tempore Pestis.



Me di a vita.

Pro Pace.



Da pacem Do mine.

De Sanctis tempore Paschali.

In cælestibus re gnis.

Extra tempus Paschale.



Sancti Dei o mn

Finitis Suffragijs, Sacerdos officians, prosequitur versus infrascriptos, ita vt Suffragijs respondeant.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur, Alleluia.
℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.
℣. Dicite in nationibus, Alleluia.
℣. Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluia.
℣. In omnem terram exiuit sonus eorum, Alleluia.
℣. Sancti & iusti in Domino gaudete, Alleluia.

Hic inferatur versus de Patrono, vel Reliquijs, vt supra.

℣. Gloria & honore coronasti eum Domine, Alleluia.
℣. Posuisti Domine super caput eius, Alleluia.
℣. Iustus vt palma florebit, Alleluia.
℣. Pretiosa in conspectu Domini, Alleluia.
℣. Diffusa est gratia in labijs tuis, Alleluia.
℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.
℣. Domine saluum fac Regem nostrum.
℣. Dominus dabit benignitatem, *vel* (serenitatem,) Alleluia.
℣. Adiuua nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Fiat pax in virtute tua. Alleluia.
℣. Exultent iusti in conspectu Dei, Alleluia.
℟. Et delectentur in lætitia, Alleluia
℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti, Alleluia.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Deinde Sacerdos stans, dicit sequentes Orationes sub vna conclusione.

Oremus.

Deus, qui ecclesiæ tuæ, misericors Deus, vt Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Per

DEvs, qui pro nobis filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiam consequamur.

Alia extra tempus Paschale.

DEvs, qui sanctam crucem ascendisti, & mundi tenebras illuminasti: tu quoq; corda & corpora nostra, per virtutem sanctæ crucis illuminare, & visitare digneris.

De B. Virgine, tempore Paschali.

DEvs, qui per resurrectionem filij tui, Domini nostri Iesu Christi, familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ.

Alia extra tempus Paschale.

COncede nos famulos tuos, Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

De Apostolis.

PRotege Domine, populum tuum, & Apostolorum tuorum, Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum & Euangelistarum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserua.

De S. Marco.

DEvs, qui beatum Marcum Euangelistam tuum, Euangelicæ prædicationis gloria sublimasti: tribue quæsumus, eius nos semper eruditione proficere, & oratione defendi.

Hic inferenda Oratio de Patrono loci, vel Reliquiarum, vbi eæ.

De S. Adalberto.

TVam nobis indulgentiam, quæsumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & martyr imploret, vt beneficia desiderata concedas.

De S. Staniſlao.

POpulum tuum, quæsumus Domine, intercedente beato Staniſlao martyre tuo atq; Pontifice, dextera virtutis tuæ potenter defende, & ſolem maieſtatis tuæ irreuerberato mentis radio, glorianter intueri concede.

De S. Venceſlao.

DEvs, qui beati Venceſlai nobilitatem, in meliorem mutaſti dignitatem, & eum per martyrij palmam, ad cœleſtem perduxiſti gloriam: eius quæſumus precibus nos ab omni aduerſitate libera, & æternæ beatitudinis gloria perfrui concede.

De S. Floriano.

ADeſto Domine populo tuo, & ſancti Floriani martyris tui præclara merita ſuſcipiens, ad impetrandam miſericordiam tuam, ſemper eius patrocinijs adiuuetur.

De S. Heduigi.

DEvs gratiæ dator & gloriæ, tuæ nobis propitius ſinum pietatis aperi: & præſta, vt qui hic manẽtem ciuitatem non habemus, ad futurã quam quærimus, beatæ Heduigis ſuffragio perducamur.

Contra hoſtes Eccleſiæ.

ECcleſiæ tuæ, quæſumus, preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate.

Alia

Alia contra infideles & hæreticos.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum: respice quæsumus in auxilium Christianorum, vt gentes infidelium & hæreticorum, quæ in sua feritate confidunt, dextera tuæ potentiæ conterantur.

Pro Rege.

QVæsumus omnipotens Deus, vt famulus tuus Rex noster N. qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementum: quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gloriosus valeat peruenire.

Pro serenitate.

AD te nos Domine, clamantes, exaudi, & aëris serenitatem (benignitatem) tribue supplicantibus: vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus.

Pro pluuia.

DEVS, in quo viuimus, mouemur, & sumus, pluuiam nobis tribue congruentem: vt præsentibus subsidijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiter appetamus.

Tempore pestis vel famis.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & pestilentiã famẽq; propitius auerte: vt mortaliũ corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare.

Pro pace.

DEVS, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, vt

& corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

De Omnibus SS. tempore Paschali.

DA, quæsumus Domine, fidelibus populis, omnium Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri.

Alia de Omnibus SS. concluſiua.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacẽ tuam nostris concede temporibus; & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone, benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defũctis requiem æternam concede. Per Dominum, &c.

Si in defectu Ecclesiarum processionem oporteret dirigi extra vicum, vel pagum, ad imaginem Crucifixi; curet inprimis Parochus, vt tales imagines sint integræ, honestæ, & si fieri potest, benedictæ. Ad quas primo debet præcedere Antiphona cum suo Versu, & Collectis, de S. Cruce: deinde reliquæ, secundùm necessitatem, vel opportunitatem.

Cùm receditur ab Ecclesia, vel loco stationis, resumitur Litania, vbi ante desierat, in eodem tono. Et repetatur, donec ad aliam stationem, vel propriam Ecclesiam redeatur. Vel si placet sub simili tono, cantetur Litania de nomine Iesu, vel B. Virgine, quæ infrà ponuntur.

In reditu & ingressu ad propriam Ecclesiam, canendum est Responsorium, vel Antiphona, de proprio Patrono eiusdem Ecclesiæ, & per Versum & Collectam, per officiantem processio finienda.

LITANIÆ DE NOMINE IESV.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater

Pro Rege.



Pro S. Sigismundo

O. Beate Sigismunde tuas preces Christo funde, pro Christiano Populo. Te Sancte Rex flagitamus, corde, ore, prepulsa mala salva nos a periculis. alleluja
Simili tono ut p. Sto Stanislao cantatur.


Et aul tans Anna inge su pio De i
Pro lis que tuq̃ti li o; cunqua pro le magni
fi ca pro no bis Chri sto sup pli ca
ut nos purget a sor di bus
et jungat san ctis ca ti bus. Alle lu ja
In gloria ma la tuit sub militari
cila myde Christi ty ro qui patuit dum pugna pétit
a vi dei. alleluja

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
Iesu Fili Dei viui, mise.
Iesu potentissime, mise.
Iesu fortissime, mise.
Iesu perfectissime, mise.
Iesu glorioſissime, mise.
Iesu mirifice, mise.
Iesu iucundissime, mise.
Iesu charissime, mise.
Iesu clarior sole, mise.
Iesu pulchrior luna, mise.
Iesu splendidior stellis, mise.
Iesu admirabilis, mise.
Iesu delectabilis, mise.
Iesu honorabilis, mise.
Iesu humillime, mise.
Iesu pauperrime, mise.
Iesu mitissime, mise.
Iesu patientissime, mise.
Iesu obedientissime, mise.
Iesu castissime, mise.
Iesu amator castitatis, mise.
Iesu amator pacis, mise.
Iesu amator noster, mise.
Iesu speculum vitæ, mise.
Iesu exemplar virtutum, mise.
Iesu decus morum, mise.
Iesu zelator animarum, mise.
Iesu refugium nostrum, mise.
Iesu pater pauperum, mise.
Iesu consolator afflictorum, mi.
Iesu thesaurus fidelium, mise.
Iesu gemma pretiosa, mise.
Iesu armariū perfectionis, mise.
Iesu bone pastor ouium, mise.
Iesu stella maris, mise.
Iesu lux vera, mise.
Iesu sapientia æterna, mise.
Iesu bonitas infinita, mise.
Iesu gaudium Angelorum, mi.
Iesu Rex Patriarcharum, mi.
Iesu inspirator Prophetarū, mi.
Iesu magister Apostolorum, mi.
Iesu doctor Euangelistarū, mi.
Iesu fortitudo Martyrum, mi.
Iesu lumen Confessorum, mi.
Iesu sponse Virginum, mise.
Iesu corona SS. omnium, mise.
Propitius esto, Parce nobis Iesu.
Propitius esto, Exaudi nos Iesu.
Ab omni malo, Libera nos Iesu.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
Ab insidijs diaboli, libera.
A peste, fame, & bello, libera nos Iesu.

A transgressione mandatorum tuorum, libera nos Iesu.
A b incursu omnium malorũ, li.
Per incarnationem tuam, libera.
Per aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuam, libera.
Per circumcisionem tuam, lib.
Per dolores tuos, libera.
Per flagella tua, libera.
Per mortem tua, libera.
Per resurrectionem tuam, lib.
Per ascensionem tuam, libera.
Per gaudia tua, libera.
Per gloriam tuam, libera.
Per dulcissimam Virginem matrem tuam, libera nos Iesu.
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, libera.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Iesu Christe audi nos.
Iesu Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.

LITANIA DE B. VIRGINE.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater diuinæ gratiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora
Mater inuiolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, Ora pro nobis.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Saluatoris, ora.
Virgo prudentissima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.

Virgo fidelis, Ora pro nobis.
Speculum iustitiæ, ora.
Sedes sapientiæ, ora.
Causa nostræ lætitiæ, ora.
Vas spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas insigne deuotionis, ora.
Rosa mystica, ora.
Turris Dauidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Ianua cœli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorũ omnium, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mũdi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

DE LITANIA MINORI DIEBVS Rogationum.

TRibus diebus immediatis ante Festum Ascensionis Domini fiunt similes Processiones, & Litaniæ, vt suprà in Festo S. Marci, nisi quòd vltima die, hoc est Feria Quarta in vltimo regressu ad propriam Ecclesiam, vbi est consuetudo debet decantari Sequentia, Victimæ Paschali interserendo Versibus patrium Canticum, Chrystus zmartwych wstał iest/ &c. vel Germanicè: Christ ist erstanden/ &c. Quæ Processio & Litania non debet omitti, quamuis in aliquem eorum dierum inciderit festum celebre. Tempore autem pluuioso, potest in Ecclesia absolui.

IN FESTO
ASCENSIONIS DOMINI.

IN die Aſcenſionis Domini Proceſsio peragatur hoc modo: Incipit Chorus abſolutè Antiphonam: **Cùm Rex gloriæ Chriſtus.** quam proſequitur ſtando: Et dum dicitur **Aduenisti deſiderabilis.** tunc egrediatur Proceſsio è Choro in cemeterium, præcedentibus vexillis, & in ſolito loco ſubſiſtat. Vbi finita Antiphona, Scholares ad hoc ordinati cantant Hymnum, **Salue feſta dies:** Chorus proſequitur, **Toto venerabilis æuo,** qua Deus cælos aſcendit, & aſtra tenet. Et ſtatim populus ſubiungit: **Przez twe świete Wniebowſtąpienie/ &c.** Chorus cum clero ſubſiſtit, & cantat verſum:

Ecce renaſcentis.
Namque triumphanti.
Legibus inferni.
Qui crucifixus erat.

Poſt quemlibet verſum, populus progrediendo repetit.
Przez twe świete Wniebowſtąpienie/ &c.

Intrando Eccleſiam canitur Reſponſorium: **Ite in orbem.** Deinde fit ſtatio in medio Eccleſiæ, vbi Præſitus officians incipit hos verſus.



mergat vel in infe ros.

Officians. Vt cum flammiuoma nube reuerteris, Chorus. occulta hominum pandere iudicans, ne des supplicia horrida noxijs, sed iustis bona præmia.

Officians. Præsta hoc genitor optime maxime. Chorus. Hoc tu nate Dei, & bone Spiritus, Regnans perpetuó fulgida Trinitas, Per cuncta pie sæcula. Amen.

Intrando Chorum, hæc Antiphona tribus vicibus per Presbyteros cantatur:



A Scendo ad Patrem meum, & Pa trem vestrum.

Chorus. De umme um & Deum ve strum, Alle luia.

Post decantatos in statione versus Hymni, per celebrantem, dicitur versus cum oratione.

℣. Ascendens Christus in altum, alleluia.
℟. Captiuam duxit captiuitatem, alleluia.

℗ remus.

DEus, cuius Filius in alta cœlorum potenter ascendens, captiuitatem nostram sua duxit virtute captiuam: tribue quæsumus, vt dona, quæ suis participibus contulit, largiatur &

sus Christus Dominus noster. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti, &c.

In Parochialibus Ecclesijs hic mos obseruatur. Sacerdos officians ad altare accedens cum ministris, si adsunt, & accipiens imaginem Saluatoris, eam cum reuerentia paulatim ter attollit, cantando Antiphonam, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Chorus prosequitur: Deum meum, & Deum vestrum, alleluia. Et post singulas intonationes, crucem iterum parum demittit: quam, Antiphona finita, in altari collocat. Sacro finito ad sacristiam reuerenter deferendam.

Representatio autem Ascensionis Domini, per receptionem imaginis eiusdem ad superiora, est abolenda: præsertim si post illam imago cacodæmonis deijciatur, & alia superstitiosa fiant cum scandalo & tumultu

DE VIGILIA PENTECOSTES.

Sicut totum Officium & Missa, sic aliæ cærimoniæ eiusdem diei fiant ex Missali Romano.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

AD aspersionem canitur Responsorium, Vidi aquam. cum versu & oratione, vti in principio huius libri dictum est.

Deinde ad Processionem canitur: Cùm Rex gloriæ Christus. qua finita, scholares incipiunt Hymnum, Salue festa dies, Chorus prosequitur, Toto venerabilis æuo, qua Deus Spiritum misit, & astra tenet. Populus progrediendo cantat: Przez twoie swiete Duchá zestánie / zć. Chorus cum Clero subsistit, & cantat reliquos versus, vti supra signatũ est.

Intrando Ecclesiam, canitur Responsorium: Apparuerunt Apostolis dispartitæ linguæ. Deinde fit statio in medio Ecclesiæ, vbi Prælatus officians, incipit hos versus Hymni:





Sac. Hostem repellas longius. Chorus. Pacemq; dones protinus, Ductore sic te præuio, Vitemus omne noxium

Sac. Per te sciamus da Patrem. Chorus. Noscamus atq; Filium: Te vtriusq; Spiritum, Credamus omni tempore.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur, alleluia.

℟. Et renouabis faciem terræ, alleluia.

Oremus.

PRæsta, quæsumus omnipotens & misericors Deus, vt sanctus Spiritus adueniens, templum nos gloriæ suæ, dignanter inhabitando perficiat. Per Christum Dominum nostrum.

Intrando chorum, canitur Antiphona:





tur e is, Alleluia.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

HAc die, & sequentibus Dominicis, per annum peragatur aspersio, & Processio, cum suis Responsorijs, vt supra de Processionibus in diebus Dominicis dictum est.

IN SOLENNITATE CORPORIS CHRISTI.

COrporis Domini solennitas, siquidem die Cœnæ Domini, propter lugubre tempus Passionis Dominicæ, & alias continuatas festiuitates, celebrari vt par est, non poterat: Ecclesia huic rei assignauit commodissimè Feriam quintam, post Festum SS. Trinitatis, cum septem alijs continuis diebus. Per quod tempus Pastores adhortentur populum, tam doctrina, quàm exemplo, ad ardentem & continuam tanto Sacramento honorem præstandum; admonente idipsum Ecclesia, dum sic canit: Quantum potes, tantum aude: quia maior omni laude, nec laudare sufficis. *Proferant ergo tanquam boni patresfamiliâs, ex thesauris scientiæ & prudentiæ suæ, noua reformatorum adorandi rituum, multis locis Prouinciæ iam explorata: nec minùs retineant vetera patriarum consuetudinum, modo talia sint, ne contumeliam potiùs quàm honorem, inferant Christo in Sacramento præsenti. Admoneatur populus de quotidianis per Octauam Indulgentijs, quas consequuntur, qui interfunt horis Canonicis in Ecclesia, vel vbi ea non decantantur, Missæ, Vesperis, & Processionibus, quæ circa illas quotidie fiunt.*

PRidie igitur eiusdem Festi, in Missa reseruandæ sunt, & in Sacristia honorificè deponendæ, duæ maiores hostiæ consecratæ, ne fortè alteram illarum frangi contingat. Ante inchoationem verò Vesperarum adornetur Tem-

tur Templum, & eius partes; maxime verò Altare, & tabernaculum, in quo Eucharistia collocari debet. Sacerdos igitur Sacris vestibus ad Vesperas indutus, cum suis ministris, candelis, & thuribulo accensis, veniunt ad hostias repositas, easq; genuflexi adorant. Postea Officians vnam ex eis ponit in tabernaculum, seu monstrantiam, & reuerenter in thuribulo incensat. Demum præcedentibus vexillis, candelis accensis, ministris, thuribulo, campanarum tinnitu, profert illud ex Sacristia; & stans versus populum, inchoat versum: **O salutaris hostia.** Choro reliqua vsque ad finem Hymni prosequente. Sacerdos autem cum alijs progreditur ad altare maius, in quo Eucharistiam reuerenter deponit, & cum omnibus alijs genuflexus adorat, donec Chorus cantu, si fieri potest, figurali absoluat aliquam Antiphonam tempori congruentem. Postea Sacerdos resumit Sacramentum, & ad altare versus populum stans, incipit Responsorium; **Homo quidam fecit:** quam canendo, prosequitur chorus ordine suo procedens, quem sequi debent pueri, Ecclesiastico vel honesto habitu induti, tenentes in manibus non calices (vt magno & periculoso abusu fieri solet) sed candelas vel faces accensas, & vt fieri potest, adornatas. Conuenit autē, vt reliqui Sacerdotes, & populus ipse lumina deferant. Ministri autem, vel vnus illorum, præfert thuribulum ante Eucharistiam incensando. Perficitur circuitus intra vel extra Ecclesiam, secundùm opportunitatē. Quod si circuitui non sufficit Responsorium, addatur aliqua Antiphona, vel Hymnus tempori deseruiens. Exacto circuitu, Sacerdos reponit super altare Eucharistiam, & dum finitur cantus, cum reuerentia resumit, faciendo cum illa benedictionem versus populum vna vice: deinde reposita in locū suum, incipit Vesperas. Quibus, vel etiam, vbi decantantur, Completorio finitis, Officians accepta Eucharistia, incipit cantu: **Tantum ergo Sacramentum.** Deinde: **Genitori genitoque:** Choro autem reliqua ad finem prosequente, in illis verbis (**sit & benedictio**) benedicit populum cū Venerabili Sacramento in formam crucis, vna vice. Et eadem qua priùs reuerentia, reportat ad solitum depositorium, nisi in altari de more, & securò sit relinquendum. Quem proferendi & reponendi modum seruabit, quoties per annum vsus venerit, & præcipuè in hac solennitate; in qua insuper retinenda, & vbi desijt, reuocanda est laudabilis consuetudo, vt Officians in Prosa vel Sequentia, adorationem Sacramenti in populo excitet, per inchoationem Versuum: **Ecce Panis Angelorum.** In figuris præsi-

gnatur

gnatur. Bone pastor, panis verè. Et statim post ad verba: Iesu nostri miserere: facit consuetam benedictionem in formam crucis, vna vice.

DE PROCESSIONE SOLENNIORI eiusdem Festi.

PRocessio solennior ipso die Corporis Christi, vt in Epistola Pastorali habetur, fiat hoc ordine: Vbicunq; plures habentur Ecclesiæ, omnes reliquarum, etiam Regulares, Clerici, absolutis in Ecclesijs suis Missis, & Processionibus circa eas factis, atq; Eucharistia ex altari in Sacristiam delata, ad Metropolitanam, Cathedralem, vel Collegiatam celebrem, si quæ adest, aliâs ad Parochialem Ecclesiam, modo & ordine, Cracouiæ, iuxta consuetudinem S. Romanæ Ecclesiæ, à bon: mem: Card: Radziuillo Episcopo Cracouiensi, instituto, ad deducendum inde per plateas Ciuitatis vel Oppidi, atq; reducendum iterum Sanctissimum Sacramentum processionaliter, cum vexillis & crucibus; Regulares quidem habitu Ordinis quiq; sui, Clerici minores superpelliceis, Subdiaconi & Diaconi Dalmaticis, Presbyteri Cassulis pretiosioribus induti, habenteſq; singuli cereos in manibus, quos in processione accendant, ac singulos ordines Sacerdotes superpelliceo, stola, & pluuiali amicto, qui Crucem aut sacras Reliquias deferat, subsequente, hora à Prælato primariæ Ecclesiæ illis assignanda, conueniant. Vbi etiam Confraternitates sæcularium, & societates opificum, cum facibus vel cereis tempestiuè adsint.

Egrediente à dicta Ecclesia Processione, & ad illam reuertente, omnes eius campanæ pulsentur: reliquarum autem Ecclesiarum tunc, cùm per vicina illis loca Processio transibit.

Processio itaq; ipsa ante vel post maiorem Missam, cum maxima quæ adhiberi potest solennitate, & fidelium applausu, aduersariorum verò confusione, progreditur ad forum, vel nobiliorem Ciuitatum, vicorum aut pagorum partem; vbi locis aptioribus, debitæq; ab inuicem instantia destruuntur quatuor mensæ instar altarium, imaginibus, & mundis pannis sacris, adminùs autem vno Superiori adornatæ. Exeundo ex Ecclesia, inchoat Officians Responsorium: **Homo quidam fecit.** Eoq; cum suis partibus finito, si vlterior restat Progressus, cantari debent Hymni tempori congruentes, vel Antiphonæ; vtpotè: **Pange lingua. Sacris solennijs.** Verbum su-

bum supernum prodiens. Iesu nostra redemptio. Æterne Rex altissime. Qui Hymni in hac Processione, iuxta Psalterium Romanum cani debent: quod etiam in alijs Processionibus huius festi, finitis Responsorijs, fieri debet. Vbi ad primum altare peruentum fuerit, Sacerdos reuerenter deponit super illud Eucharistiam, & adorans incenso benedicto adolet. Deinde Diaconus vel ministrans, accepta benedictione consueta, cantat in solito tono, Initium Euangelij secundùm Matthæum, vt infra ponitur. Quo finito, Officians osculato libro, reuerenter recipit Eucharistiam, & conuersus ad populum, inchoat Responsorium. Et hoc cantu fit progressus ad secundum altare, vbi sicut in reliquis, similem priori stationem faciet, Euangelijs tantùm & Responsorijs mutatis, vt sequitur.

In prima statione Euangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Initium sancti Euangelij secundùm Matthæum.
℟. Gloria tibi Domine.

LIber generatiônis IESV Christi Filij Dauid: Filij Abrahám. Abrahám genuit Isaác: Isaác autem génuit Iacob: Iacob autem génuit Iudam & fratres eius: Iudas autem génuit Phares & & Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron: Esron autem génuit Aram: Aram autem génuit Aminadab: Aminadab autem génuit Naason: Naason autem génuit Salmon: Salmon autem génuit Booz de Raab: Booz autem génuit Obeth ex Ruth: Obeth autem génuit Iesse. Iesse autem génuit Dauid regem. Dauid autem Rex génuit Salomônem, ex ea quæ fuit Vriæ. Sálomo autem genuit Roboám: Roboám autem génuit Abiam: Abias autem génuit Asa: Asa autem génuit Iósaphat. Iósaphat autem génuit Ioram: Ioram autem génuit Oziam: Ozías autem génuit Iothan: Ióathan autem genuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechiam: Ezechias autem génuit Manassem. Manásses autem génuit Amon: Amon autem génuit Iosiam. Iosías autem génuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babilónis. Et post transmi

gratiônem Babilônis, Iechoniás gênuit Saláthiel: Saláthiel autem génuit Zorobabél: Zorobabél autem génuit Abiud: Abiud autem génuit Eliachim. Eliachim autem génuit Azor: Azor autem génuit Sadoc: Sadoc autem génuit Achim: Achim autem génuit Eliud: Eliud autem génuit Eleazar: Eleazár autem génuit Mathan: Mathan autem génuit Iacob. Iacob autem génuit Ioseph virum Mariæ. De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

Respon-
sorium.

Immolábit hæ dum.

In secunda Statione Euangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Initium sancti Euangelij secundum Marcum:
℟. Gloria tibi Domine.

INítium Euangélij Iesu Christi Filij Dei, sicut scriptum est in Isaía Prophéta, (Ecce mitto Angelum meum [illegible] fáciem tuám, qui præparabit viam tuam ante te [illegible] is in deserto: Paráte viam Dómini [illegible] eius. Fuit Ioánnes in desérto baptízans [illegible] pœnitentiæ in remissiónem peccatórum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Hierosolymítæ vniuérsi: & baptizabántur ab illo in Iordánis flúmine, confiténtes peccáta sua.— Et erat Ioánnes vestítus pilis camèli, & zona pellícea circa lumbos éius: & locústas & mel syluéstre edébat. Et prædicábat dicens: Vénit fortior me post me, cuius non sum dignus procúmbens sóluere corrígiam calceamentórum eius. Ego baptízaui vos aqua, ille verò baptizábit vos Spíritu sancto.

Respónsorium.

Respons. I

Eſpe xit E li as.

In tertia Statione Euangelium.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Initium ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

FVit in diébus Heródis regis Iudææ, ſacérdos quidam nómine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiábus Aaron, & nomen illius Eliſabeth. Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedéntes in omnibus mandátis & iuſtificatiónibus Dómini ſine quęrela, & non erat illis filius: eo quòd Eliſabeth eſſet ſterilis: & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem, cùm ſacerdótio fungerétur Zacharias, in órdine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetúdinem ſacerdótij: ſorte exijt, vt incénſum póneret, ingreſſus in templum Dómini. Et omnis multitúdo pópuli erat orans foris, hora incénſi. Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incénſi. Et Zacharias turbatus eſt, videns: & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita eſt deprecatio tua: Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium: & vocabis nomen eius Ioannem. Et erit tibi gaudium & exultatio: & multi in natiuitate eius gaudébunt. Erit enim magnus coram Dómino: vinum & ſiceram non bibet. Et Spiritu Sancto replébitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiórum Iſrael convertet ad Dóminum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in ſpíritu & virtúte Eliæ: vt convertat corda patrum in filios: & incrédulos ad prudéntiam iuſtorum: parare Dómino plebem perfectam.

Respon-
sorium.

sit me.

In quarta Statione Euangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Initium sancti Euangelij secundùm Ioannem.
℟. Gloria tibi Domine.

IN princípio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: & vita erat lux hóminum: & lux in ténebris lucet: & ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioánnes. Hic venit in testimónium: vt testimónium perhibêret de lúmine, vt omnes créderent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimónium perhibêret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniêntem in hunc mũdum. In mundo erat: & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognóuit. In propria venit: & sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntáte carnis, neq; ex voluntáte viri: sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST: & habitauit in nobis: & vidimus glóriam eius, gloriam quasi vnigéniti à Patre, plenum grátiæ & veritatis.

Quæ quidem Responsoria, suo ordine, vel vt commodius videbitur, in Processionibus quotidianis per hanc octauam erunt decantanda. Quando autem genuflexio est commoda, in Responsorio Melchisedech, ad prima verba: O Iesu. Sacerdos paululum subsistens, dat cum Sacramento benedictionem Clero, & alijs præcedentibus genuflexis: postea ad vltimam eorundem verborum repetitionem, idem facit versus sequentem populum.

In vltima Statione, finito Euangelio, omnibus genuflexis, canitur Antiphona:

℣. Posuit fines tuos pacem, alleluia.
℟. Et adipe frumenti satiat te, alleluia.

O remus.

DEvs, qui per præsentiam arcæ fœderis, domui, & vniuersæ substantiæ Obededom fidelis tui, largam benedictionem contulisti: concede propitius, vt arca redemptionis nostræ, Christus Iesus filius tuus, hodierno corporis sui mysterio nos visitans, temporali & æterna nos benedictione muneretur. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Responsorium, vt supra.

In reditu, ante ingressum propriæ Ecclesiæ, inchoatur Hymnus, Te Deum laudamus.

Interim reposito in Altari venerabili Sacramento, & omnibus genuflexis, cùm peruentum fuerit ad versum: Saluũ fac populum tuum Domine. Sacerdos recipiens Sacramentum, conuersus ad populum, ter illum inchoat, choro perficiente: ita tamen, vt tertia vice addat reliqua verba: Et benedic hæreditati tuæ. Et tunc Eucharistia in forma crucis ducta, more solito populum benedicat. Dumq; chorus reliqua absoluit, deponat Sacramentum in tabernaculum altaris: vel si asseruandum erit, solito comitatu & reuerentia, ad locum præparatum deferat. Idem finiendi & asseruandi

modus teneatur in conclusione huius solennitatis, & quoties in aliqua solennitate, vel gratiarum actione publica, profertur Venerabile Sacramentum. Reliquis temporibus, vel in supplicationibus lugubribus, ante asseruationem immediatè cantetur Antiphona: O quam suauis est Domine, Spiritus tuus, &c. Deinde Sacerdos genuflexus dicit:

℣. Panem de cœlo præstitisti eis, alleluia.
℟. Omne delectamentum in se habentem, alleluia.

Oremus.

DEvs, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis, &c.

Deniq; inchoato versu: Tantum ergo Sacramentum, &c. asseruat Eucharistiam, vt suo loco dictum est.

Postremò, finita & reducta ad eandem Ecclesiam Processione, omnes tam Clerici, quàm laici, eodem ordine quo venerant, reuertantur ad suas Ecclesias; quæ & ipsæ pariter, vbi id fieri commodè potest, præter Processiones quotidie circa Ecclesiam obiri consuetas, vnam solenniorem cæteris, Dominica infra octauas, vel in ipsa Octaua, per adiacentes sibi vicos, cum populo suo instituant.

Deniq; in pagis & oppidis, vbi vna tantum est Ecclesia, per nobiliorem atq; planiorem earum partem, non tamen per campos aut agros, quàm decentissimè, iuxta suprascripta, hæc eadem Processio fiat.

Tempore Aduentus, & Quadragesimæ: omittitur Alleluia; vbi alioquin in tali officio est appositum.

IN FESTO DIVISIONIS APOSTOLORVM.

HOc Festum quamuis in Officio Romano non po natur, fortasse ideò, quia eius historia certa, & vniuersali traditione non firmatu Tamen quia prorsus obscura non est, retineatur eiusdem Festi celebritas, vbi est consuetudo: maximè verò in nostra Prouincia, propt

mem

memorabilem victoriam per Polonos ex Pruthenis & Cruciferis eo die reportatam. Ideò post Missam maiorem (cui alia Missa Gratiarum actoria præmittenda, vel vbi fieri non potest, Oratio ad id propositum inserenda est) fit secundum locorum consuetudinem Processio, per inchoationē Responsorij de Festo: **Ite in orbem vniuersum.** vel, **Ecce ego mitto vos.** quod est primum de communi Apostolorum. Cui succedit Litania cum alijs suffragijs, memoria eidem tempori, & loco congruentibus, vt in processione die S. Marci positum est: Quibus interseri poterunt suis locis sequentes propriæ orationes.

O remus.

DEus, qui hodierna die Apostolorum tuorum, per orbem terrarum diuisionem, tua prouidētia fieri præstitisti; vt in vnam fidei gratiam, ex gentibus passim dispersis vocaretur Ecclesia: da nobis meritis & suffragijs eorum, veniam nostrorum consequi peccatorum, per quorum veram prædicationem, ad tui nominis peruenimus agnitionem.

OMnipotens sempiterne Deus, mœstorum benignissime consolator, tutum refugium in te sperantium: qui hodiernam diem huic populo de tua protectione confidenti, triumpho mirabili cœlitus præstito, celebrem fieri voluisti: præsta quæsumus tuæ protectionis abundantiam, vt populus meritis ac precibus sanctorum Apostolorum tuorum, quorum solennia agimus, ab omni semper hostium impugnatione tueatur, & securus tibi deseruiendo permaneat.

DEus, qui credentes in te populos nullis finis concuti terroribus: dignare preces & supplicationes plebis tibi dicatæ suscipere: vt pax à tua pietate concessa, Christianorum fines, ab omni hoste faciat esse securos Per Dominum, &c.

Postremo in reditu ad propriam Ecclesiam, concluditur Hymno, Te Deum laudamus.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. M. V.

Benedictio Herbarum & Processio.

ABsoluta aspersione, si festũ venerit in Dominica, alioqui immediatè antè maiorẽ Missam, Officians pluuiali solenni indutus, ante altare, conuersus ad populum tenentem herbas, vel fructus, incipit voce intelligibili.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde dicat Psalmum 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hierusalem.

EXaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

VErba iniquorum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

BEatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.

REplebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

EXaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longè.

PRæparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.

TUrbabunt gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini & vesperæ delectabis.

VIsitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam,

FLumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius.

RIuos eius inebrians multiplica genimina eius: in stillicidijs eius lætabitur germinans.

Benedi-

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.
Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.
Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt etenim hymnum dicent.
Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Dominus dabit benignitatem.
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Rigans montes de superioribus suis.
℟. De fructu operum tuorum satiabitur terra.
℣. Producens fœnum iumentis.
℟. Et herbam seruituti hominum.
℣. Vt educas panem de terra.
℟. Et vinum lætificet cor hominis.
℣. Vt exhilaret faciem in oleo.
℟. Et panis cor hominis confirmet.
℣. Misit verbum suum, & sanauit eos.
℟. Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cœlum, terram, mare, & omnia visibilia & inuisibilia verbo tuo ex nihilo creasti: quiq; herbas arboresq; ad vsus hominum animaliumq; terram gignere, & vnum quodq; iuxta sementem in semetipso fructum habere præcepisti: atq; non solùm, vt herbæ animantibus ad victum, sed ægris etiam corporibus prodessent ad medicamentum, tua ineffabili pietate concessisti: te supplici mente & ore deprecamur, vt has diuersi generis herbas & fructus, tua clementia bene ✠ dicas, & supra naturalem à te inditam virtutem, eis benedictionis tuæ no-

uæ gratiam infundas, vt ad vsum hominibus & iumentis in nomine tuo applicatæ, omnium morborum & aduersitatum efficiantur præsidium. Per Dominum, &c.

DEus qui per Moysen famulum tuum mandasti filijs Israël: vt manipulos nouorum fructuum benedicendos deferent ad Sacerdotes, tollerentq; fructus arboris pulcherrimæ, & lætarentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius inuocationibus nostris, & effunde tuæ bene ✠ dictionis abundantiam super nos, & super hos manipulos nouarum frugum, vuarum, herbarum, & fructuum collectionem, quæ cum gratiarum actione tibi representamus, & in nomine tuo in hac solennitate bene ✠ dicimus: & concede, vt hominibus, pecoribus, pecudibus, & iumentis, contra morbos, pestes, vlcera, maleficia, incantationes, veneficia, serpentum, & aliarum venenosorum animalium & bestiarum morsus, necnon quæcunq; venena, remedium præstent; atq; contra diabolicas illusiones, & machinationes, & fraudes tutamen ferant, in quocunq; loco positum, vel portatum, aut habetur aliquid ex eis. Quatenùs cum manipulis bonorum operum, meritis beatæ Mariæ Virginis, cuius assumptionis festum colimus, quo ipsa assumpta est, suscipi mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. ℟. remus.

DEus, qui virgam Iesse, genitricem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, hodierna die ad cœlorum fastigia ideo euexisti, vt per eius suffragia & patrocinia fructum ventris illius, eundem Filium tuum, mortalitati nostræ communicares: te supplices exoramus, vt eiusdem Filij tui virtute, eiusq; genitricis glorioso patrocinio, istorum terræ fructuum præsidijs, per temporalem ad æternam salutem disponamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Et benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, descendat super has creaturas, & maneat semper. ℟. Amen.

Postea

Postea thurificantur herbæ, & aqua benedicta aspergantur: & succedat Processio cum cantu Responsorij, Vidi speciosam, &c. vel alio festo & officio congruenti.

De Processione die decima Octobris.

Hæc Processio in Gratiarum actionem, pro victoria de Turcis obtenta, approbata est per Breue Greg: XV. quod habetur ad calcem Synodi Gembicianæ.

Obseruetur ordo huius Processionis ex Rituali Romano, vti pro Gratiarum actione, quæ infra ponitur, sub titulo; Preces dicendæ in processione, pro Gratiarum actione. Addenda tamen erit Oratio propria vltimo loco: quæ sequitur.

DOmine Deus exercituum, qui interueniente Beata Virgine MARIA, & Sanctis Regni nostri Patronis, immanem Turcarum exercitum, in cladem Poloniæ congregatum, magna cum ignominia repulisti: gratias tibi supplices reddimus, maiestatem tuam deprecantes, vt à quibus virgam furoris tui auertisti, eosdem ad te verè conuerti largiaris. Per Dominum, &c.

DE PROCESSIONE generali, pro Fidelibus Defunctis.

COmmemoratio vniuersalis omnium fidelium Defunctorum, ex vetustissimo Ecclesiæ instituto, optimaq; ratione, celebratur postridie festi Omnium Sanctorum. Memoria verò minus vniuersalis propriorum mortuorum, cùm secundùm locorum consuetudinem, in trinos, septenos, tricesimos, & vsq; in centesimos dies parturi soleat: nostra Prouincia satis commodè, in quatuor æquales anni partes illam reduxit. Quibus temporibus in Ecclesia fit Officium pro Defunctis, cum Missa & Processionibus, ad hunc qui sequitur modum.

DIe Omnium Sanctorum, & singulis Dominicis, vbi est consuetudo, post quatuor tempora proximis, absoluto Officio diei Vespertino, Sacerdos Officians lugubri pluuiali indutus, ordinet Processionem circa, vel si incommodum erit, intra Ecclesiam; cui omissis vexillis præferatur

pulsu

primo crux, & si fieri potest, duo ceroferarij cum luminibus eam præcedant: sequatur consueto ordine chorus puerorum, Cantorum, & vbi adsunt, Sacerdotum. Succedant ante ipsum Officiantem duo ministri, quorum vnus aqua benedicta aspergat obuia sepulchra, alter thuribulo prius benedicto, quatenus commodum erit, incenset: sequatur vltimò populus, qui de eiusmodi officio maturius præmoneri debet. In primo progressu cantetur Antiphona, Absolue Domine, cum pulsu campanarum: quod in reliquis Responsorijs seruetur. cantu finito subsistendo, officians cum alijs omnibus genuflexus, cantat tono consueto lugubri: Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison. Deinde voce intelligibili inchoat Sacerdos, Pater noster. Finita ab omnibus in silentio oratione Dominica, prosequitur: Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde surgendo. O remus.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali, & Clericali fecisti dignitate vigere: præsta, quæsumus, vt eorum quoq; perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

Simili modo fiant reliquæ quatuor Stationes, mutatis tamen Responsorijs & orationibus, hoc ordine.

Ad secundam Stationem Responsorium, Credo, quòd redẽptor meus viuit. O remus.

DEus, qui nos patrem & matrem honorâre præcepisti, miserere clementer animabus patris ac matris nostrorum, eorumq; peccata dimitte, nosq; eos in æterna claritate fac videre. Per Christum Dominum nostrum.

Ad tertiam Stationem Responsorium. Qui Lazarum, &c.

Ora,

Oratio.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per Christũ Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad quartam stationem Responsorium. Peccantem me quotidie, &c.

Oratio.

DEvs, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt; famulis & famulabus tuis omnibus, hic & vbiq; in Christo quiescentibus, da propitius suorum veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad vltimam stationem, quæ ad altare maius terminari debet, Responsorium. Libera me Domine, &c.

Oremus.

FIdelium omnium Deus conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Demum concludat Sacerdos tono consueto: Requiescant in pace. ℟. Amen. Postremò canitur Antiphona: Salue Regina. cum suo Versu & Collecta.

Sequentibus diebus, hoc est, die Animarum (nisi in diem Dominicũ incidat, tunc enim transfertur in sequentem) & primis feriis secundis post quatuor tempora, nisi Festum duplex similiter transferre cogat, [illegible] sam pro Defunctis, in qua oblationes fieri debent, [illegible]

& vbi est consuetudo vel obligatio, Vigiliæ, seu Matutinum, cum Laudibus Defunctorum, seruatis omnibus suprà scriptis. Quia verò Missale Romanum continet sequentiam in Missa pro Defunctis, maximè die Animarum, & in die depositionis defuncti dicendam: operæpretium visum est, eam cum suis notis hoc loco apponere.




get crea tura, iudi can ti reſponſura.
Liber ſcriptus pro fe re tur, in quo totum con-
tinetur, vnde mundus iudicetur. Iudex
er go cùm ſe de bit, quidquid latet appa re-
bit: nil inultum remanebit. Quid ſum miſer
tunc dicturus? quem Pa tronum rogaturus? dum vix
iuſtus ſit ſecurus. Rex tremendæ maieſtatis, qui


ſaluan do ſaluas gratis, ſalua me fons pie-
tatis. Recordare Ie ſu pi e, quòd ſum
cauſa tuæ viæ, ne me per das il la die.
Quærens me ſe di ſti laſſus: redemiſti crucem
paſſus, tantus la bor non ſit caſſus. Iuſtæ
Iu dex vl tio nis, do num fac re miſſio nis,
ante diem ra tionis. Inge mi ſco tan-
quam re.


quam re us: cul pa rubet vultus me us: supplican-
ti parce Deus. Qui Mariam absol uisti, &
latro nem exaudisti: mi hi quoq; spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ: sed tu bo nus fac beni-
gnè: ne pe renni cremer igne. Inter oues
lo cum præsta, & ab hædis me sequestra, statuens
in parte dextra. Confutatis ma ledi-


ctis, flammis acri bus addictis, voca me cum
benedictis. Oro supplex & accli uis: cor
contritum quasi cinis, gere curam mei finis.
Lachrymosa di es il la, qua resurget ex
fauilla. Iudicandus ho mo reus. Huic
ergo par ce Deus. Pi e Iesu Domine, dona
e is requiem A men.

DE PROCESSIONIBVS EXTRAORDINARIIS.

De Processione ad petendam pluuiam.

AGuntur omnia, vt supra in Litanijs maioribus, vsq; ad finem Litaniarum, in quarum Precibus, bis dicitur: Vt congruentem pluuiam fidelibus tuis concedere digneris, Te rogamus audi nos.

In fine postea dicitur Pater noster. secretò.

℣. Et ne nos inducas in tentationē. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 146.

LAudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus: Deo nostro sit iucunda, decoraq; laudatio.

Ædificans Ierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinē stellarū: & omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: humiliatus autem peccatores vsque ad terram.

Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fænum: & herbā seruituti hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Quo finito dicantur Preces. ℣. Operi Domine cælꝫ nubibus. ℟. Et para terræ pluuiam. ℣. Vt producat in montibus fænum. ℟. Et herbam seruituti hominum. ℣. Riga montes de superioribus tuis. ℟. Et de fructu operum tuorum satiabitur terra. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, in quo viuimus, mouemur, & sumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præsentibus auxilijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiùs appetamus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, vt qui in afflictione nostra, de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia tua semper protectione muniamur.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, pluuiam salutarem, & aridam terræ faciem fluentis cælestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. ℣. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei, requiescant in pace. ℟. Amen.

PROCESSIO AD POSTVLANDAM serenitatem.

OMnia fiant, vt supra in Litanijs maioribus; & in Litaniarum Precibus, bis dicatur: Vt fidelibus tuis aeris serenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos. Ad finem obsecrationũ, dicitur Pater noster,

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo, &c.

Psalmus

Psalmus 66.

DEvs misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

℣. Adduxisti Domine, Spiritum tuum super terram. ℟. Et prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo. ℣. Cùm obduxero nubibus cœlum. ℟. Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei. ℣. Illustra faciem tuam Domine, super seruos tuos. ℟. Et benedic sperantes in te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Oratio.

AD te nos Domine, clamantes exaudi, & aêris serenitatem nobis tribue supplicantibus: vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente clementiam sentiamus.

Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, clementiam tuam, vt inundantiam corceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertire digneris. Per Dominum nostrum, &c.

PRECES AD REPELLENDAM tempestatem.

PVlsantur campanæ, & qui adesse possunt, in Ecclesiam conuocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dicitur: A fulgure & tempestate, &c. & post Litanias, Orationem Dominicam.

Psalmus 147.

LAuda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.
QVoniam confortauit seras portatum tuarum: benedixit filijs tuis in te.
Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.
Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.
Qui dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.
Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?
Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.
Qui annunciat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israel.
Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Fiat misericordia tua Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speranimus in te. ℣. Saluum fac populum tuum Domine. ℟. Et benedic hæreditati tuæ. ℣. Non

prua-

priabis bonis eos, qui ambulant in innocentia. ℟. Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Oratio.

ADomo tua, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus: vt post noxios ignes nubium, & vim procellarū, in misericordiam transeat laudis comminatio tempestatum.

Oratio.

DOmine Iesu, qui imperasti ventis, & mari, & facta fuit tranquillitas magna: exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, vt hoc signo sanctæ Crucis ✠ omnis discedat sæuitia tempestatum.

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conseruas: præsta supplicibus tuis, vt & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper vtamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum; qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

PRECES DICENDÆ TEMPORE, penuriæ, & famis.

AGuntur omnia, vt suprà in Litanijs maioribus, vsq; ad finem Litaniarum, in quarum precibus, bis dicitur: Vt fructus terræ dare & conseruare digneris. Post Litanias dicitur Pater noster, &c.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.
Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.
Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.
Nam, & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.
Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.
Parasti in conspectu meo mensam: aduersus eos qui tribulant me.
Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est!
Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.
Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Oculi omnium in te sperant Domine. ℟. Et tu das illis escam in tempore opportuno. ℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio. ℣. Dominus dabit benignitatem. ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

INeffabilem nobis Domine, misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & famem propitiatus auerte, vt mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare.

Oratio.

POpulum tibi subditum, pro peccatis suis fame laborantem, ad te Domine conuerte propitius, qui quærentibus regnum tuum, omnia adijcienda esse dixisti. Qui viuis & regnas cum Deo, &c.

PROCESSIO TEMPORE MORtalitatis, & pestis.

FIat vt suprà in Litanijs maioribus, & in Litaniarum precibus, dicatur bis: A peste, & fame, Libera nos Domine. & infra suo loco: Vt à pestilentiæ flagello nos liberare digneris, &c. In fine Litaniarum dicitur Pater noster, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

Psalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

MIserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

ET anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?

CONuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

QUoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

LAboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

TUrbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. ℣. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. ℟. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Ora pro nobis sancte Sebastiane. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, & intercedente beata & gloriosa Dei genitrice Maria semper Virgine, & beato Sebastiano martyre tuo, & omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largitate securum.

Oratio.

Propitiare Domine, supplicationibus nostris, & animarum, & corporum medere languoribus: vt remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Domine, piæ petitionis effectum, & pestilentiam, mortalitatemq; propitiatus auerte, vt mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum nostrum, &c.

PRECES DICENDÆ IN LITANIIS tempore Belli.

PEractis omnibus, vt supra in Litanijs maioribus, ad finem Litaniarum dicitur Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 45.

DEvs noster refugium, & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella vsq; ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.

Vacate & videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

℣. Exurge Domine adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Saluum fac populum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abun

dantia in turribus tuis. ℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Arcum contere, & confringe arma. ℟. Et scuta combure igni. ℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere nos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, vt inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

Oratio.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; vt corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Oratio.

HOstium nostrorum, quæsumus Domine elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Si verò bellum est contra Turcas, & alios infideles, vel Hæreticos, inter preces Litaniarum bis dicatur: Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos. & addatur: Vt Turcarum, vel Hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, Te rogamus, &c. & dicto Pater noster, dicatur:

Psalmus 78.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posue-

Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequo Domine irascéris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos: propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui: possíde filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ: confitebimur tibi in sæculum.

In generationem & generationem: annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Saluos fac seruos tuos ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Hostium nominis tui Domine elide superbi.

superbiam. ℟. Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prósterne. ℣. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti. ℟. Et Angelus Domini persequatur eos. ℣. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt. ℟. Et in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. ℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere nos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, vt sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Oratio.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, respice in auxilium Christianorum, vt gentes Turcarum, seu Hæreticorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c. Exaudiat nos Dominus. Amen.

PROCESSIO IN QVACVNQVE tribulatione.

SEruatis omnibus, vt supra in Litanijs maioribus: finitisque Litanijs, dicitur Pater noster, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat

Mittat tibi auxilium de Sancto: & de Sion tueatur te.
Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.
Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.
Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.
Impleat Dominus omnes petitiones tuas: tunc cognoui, quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.
Exaudiet illũ de cœlo sancto suo: in potẽtatibus salus dexteræ eius.
Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.
Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.
Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Vel Psalmum 90.

QVi habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.
Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.
Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantiũ: & à verbo aspero.
Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.
Scuto circumdabit te veritas eius: nõ timebis à timore nocturno.
A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano.
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.
Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugi tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnib is vijs tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedē tuū.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendā illi salutare meum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Quo finito dicuntur Versus. Deus refugium nostrum & virtus. ℟. Adiutor in tribulationibus. ℣. Saluos fac seruos tuos Domine. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis. ℟. Miserere nobis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

NE despicias omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus.

Oratio

INeffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ

Mariæ

ariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Oratio.

TRibulationem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam iustè meremur, auerte.

Oratio.

DEvs refugium nostrum & virtus, adesto pijs Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis: & præsta, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum, &c.

Oratio tempore Interregni.

DEvs Regnorum omnium auctor, protector, & custos: respice quæsumus in noui Regis nostri electionem, vt dextera tua interueniente eligatur, qui Ecclesiæ tuæ fidelis te dirigente tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Dominum, &c.

PRECES DICENDÆ IN PROCESSIONE, pro Gratiarum actione.

Initio Processionis, cantatur Hymnus.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.
e æternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi cœli & vniuersæ potestates.
Tibi Cherubim & Seraphim: incessabili voce proclamant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cœli, & terra: maiestatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus Apostolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensæ maiestatis.
Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.

Sanctum quoque paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti virginis (vterum.
Tu deuicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cælorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.
Iudex crederis esse venturus.
Te ergo quæsumus, tuis famulis subueni: quos pretioso sanguine (redemisti.
Æterna fac cum Sanctis tuis: gloria munerari.
Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos: & extolle illos vsque in æternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum: & in sæculum sæculi.
Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine: miserere nostri.
Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speraui-mus in te.
In te Domine speraui, non confundar in æternum.

Deinde dici poterunt Psalmi, qui sequuntur, prout tempus feret.

Psalmus 65.

IVbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.
Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.
Venite, & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum.
Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.
Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respici-

respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis eius.

Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.

Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum: in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boues cum hircis.

Venite, audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamaui: & exaltaui sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet Dominus

Propterea exaudiuit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus: qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Psalmus 80.

Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.

Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestræ.

Quia præceptum in Israel est: & iudicium Deo Iacob.

Testimonium in Ioseph posuit illud, cùm exiret de terra Ægypti: linguam, quam non nouerat, audiuit.

Diuertit ab oneribus dorsũ eius: manus eius in cophino seruierunt.
In tribulatione inuocasti me, & liberaui te: exaudiui te in abscondito tempestatis, probaui te apud aquam contradictionis.
Audi populus meus, & contestabor te: Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum.
Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud. (mihi.
Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israel non intendit
Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.
Si populus meus audisset me: Israël si in vijs meis ambulasset.
Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.
Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum ín sæcula.
Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.
Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutare eius.
Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.
Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos. (fecit.
Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cœlos
Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.
Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite

Tollite hostias,& introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.

Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini,qui venit: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Gloria Patri,&c.

Psalmus 99.

IVbilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia.

Introite in conspectu eius: in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non (ipsi nos.

Populus eius, & oues pascuæ eius: introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternũ misericordia eius: & vsq; in generationẽ & generationẽ veritas eius.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 102.

BEnedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino: & noli obliuiscì omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu viam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faciens

Faciens misericordias Dominus: & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israel voluntates suas.

Miserator & misericors Dominus: longanimis, & multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: neq; in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli à terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut fœnum, dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno: & vsq; in æternum super timentes eum.

Et iustitia illius in filios filiorum: his qui seruant testamentum eius.

Et memores sunt mandatorum ipsius: ad faciendum ea.

Dominus in cœlo parauit sedem: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, &c.

Psalmus

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.
Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.
Laudate eũ omnes Angeli eius: laudate eũ omnes virtutes eius.
Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.
Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.
Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.
Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi. (eius.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarũ: quæ faciunt verbũ
Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.
Bestiæ, & vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.
Reges terræ, & omnes populi: Principes, & omnes iudices terræ.
Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus, laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.
Confessio eius super cœlum & terrã: & exaltauit cornu populi sui.
Hymnus omnibus Sanctis eius: filijs Israël, populo appropinquanti sibi.

Psalmus 149.

CAntate Domino canticum nouum: laus eius in Ecclesia sanctorum. (suo.
Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in Rege
Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.
Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.
Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum. A dia-

Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.
Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.
Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis eius.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.
Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.
Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in Psalterio & cithara.
Laudate eũ in tympano & choro: laudate eũ in cordis & organo.
Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Canticum trium puerorum. *Dan: 3.*

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.
Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.
Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.
Benedicite sol & luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.
Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.
Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite frigus & æstus Domino.
Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu, & frigus Domino.
Benedicite glacies, & niues Domino: benedicite noctes & dies Domino.
Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.
Benedicat terra Dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedi-

Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.
Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.
Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.
Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.
Benedicat Israel Dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula.
Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite serui Domini Domino.
Benedicite spiritus, & animæ iustorum Domino: benedicite sancti, & humiles corde Domino.
Benedicite Anania, Azaria, Misael, Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula.
Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu: laudemus. & superexaltemus eum in sæcula.
Benedictus es Domine in firmamento cœli; & laudabilis, & glorioſus, & superexaltatus in sæcula.

Canticum Zachariæ. *Luc: 1.*

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.
Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui. (eius.
Sicut locutus est per os sanctorum: qui à sæculo sunt prophetarũ
Salutem ex inimicis nostris: & de manu omniũ qui oderunt nos.
Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.
Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis. (illi.
Vt sine timore de manu inimicorum nostrorũ liberati: seruiamus
In sanctitate & iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionē peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hæc autem prædicta, prout longitudo itineris postulauerit, vel omnia, vel ex parte cantari possunt. Deinde in Ecclesia, vbi fit statio, ante altare dicuntur sequentes versus, & Orationes.

℣. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum. ℟. Et laudabilis, & glorioſus in sæcula. ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamēto cœli. ℟. Et laudabilis, & glorioſus, & superexaltatus in sæcula. ℣. Benedic anima mea Domino. ℟. Et noli obliuiſci omnes retributiones eius. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus

DEus, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: pijssimæ maiestati tuæ, pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; vt qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas.

Oratio.

DEus, qui corda fidelium, sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Oratio.

DEus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus præstas auditum, pro postulationibus nostris, votisq; susceptis, gratias agimus, te pijssimè deprecantes, vt à cunctis semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum, &c.

DE PRO.

DE PROCESSIONE IN TRANSLATIONE ſacrarum Reliquiarum inſignitum.

ECcleſia, & viæ, per quas tranſeundum eſt, quàm fieri poteſt, decentius ornentur. Sacerdotes, & miniſtri veſtibus induti, albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ tranſferuntur, expoſcunt, & cum luminaribus accenſis omnes procedant, decantantes Litanias cum inuocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur; & Hymnum, Te Deum, &c. & Pſalmum. Laudate Dominum de cœlis, cum duobus ſequẽtibus; & alios Pſalmos, & Hymnos, de proprio, vel de communi eorum ſanctorum, quorum Reliquiæ transferuntur.

Appendix quorundam pro rudioribus, & ex vſu Prouinciæ.

De his, quæ interdicti tempore prohibentur.

DVrante Interdicto, Diuina Officia non fiant in Eccleſiis, niſi cum conditionibus, & in certis priuilegiatis diebus Chriſma conſecratur. Nulla verò Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrantur, niſi Baptiſmus, Confirmatio, *&* Pœnitentia, *omnibus differenter.* Euchariſtia *infirmis, & in periculo mortis conſtitutis tantùm. Matrimonia ſine Eccleſiaſtica ſolennitate contrahuntur. Decedentes laici in eisdem locis, Eccleſiaſtica carent ſepultura. Clerici, ea quæ ſunt Ordinis, exercere prohibentur, niſi in caſibus à Iure expreſſis. Vide Bullam Prouincialem,* lib: 4. Conſtit: Prouinc. *titulo,* de Priuileg.

Caſus, in quibus Eccleſiæ, Cæmiteria, & Altaria, conſecrari, aut reconciliari debent.

QVælibet Eccleſia de nouo conſtructa, debet conſecrari, quæ licet ſit conſecrata, tribus caſibus indiget conſecratione.

Primò, ſi neſcitur, vel dubitatur, an fuerit conſecrata, nec apparet aliqua ſcriptura, munimentum, ſeu alia quæuis probatio: tali verò caſu ſufficit vnius teſtis de viſu, vel auditu teſtimonium, quando quidem non agitur de præiudicio alicuius.

Secundò, *si Ecclesia exusta, parietes sint combusti, vel in interiori parte Ecclesiæ notabiliter decrustati, in toto, vel in parte maiori; quia consecratio Ecclesiæ in interiori parte consistit, vbi linitio & cruces fiunt. Si autem solum tectum comburatur, non est consecranda.*

Tertiò, *si parietes in toto, vel in parte maiore corruerint, ita quòd denuo oporteat eos simul reficere, etiam ex lapidibus eisdem: secus, si corruerit solũ tectũ.*

Porrò Ecclesia consecrata, quinq; casibus polluitur, indigens reconciliatione, & non consecratione.

Primò, *propter homicidium in ea perpetratum, etiam sine sanguine.*

Secundò, *propter violentam & iniuriosam sanguinis humani effusionem.*

Tertiò, *propter commissum in ea adulterium, vel quamlibet seminis humani effusionem voluntariam.*

Quartò, *si in ea sepeliatur excommunicatus Hæreticus, vel paganus, seu infidelis. Quo casu, talium corpora exhumanda, & proijcienda sunt, si discerni possunt ab alijs.*

Quintò, *si Ecclesia (& idem de Altari ac Cæmeterio) ab Episcopo publicè excommunicato consecretur, vel etiam reconcilietur, seu benedicatur: quia ante reconciliationem, nec celebrari, nec sepeliri ibi aliquis debet. Quod in omnibus Casibus suprà dictis intelligendum, nisi in Casibus à iure expressis.*

Cæmeterium nouum est consecrandum, consecratum verò ijsdem modis, quibus Ecclesia violatur, & reconciliatur. Si dubitatur esse consecratum, idem fit, quod circa Ecclesiam, de cuius consecratione dubitatur: debet enim consecrari. Porrò violata Ecclesia, censetur etiam violatum esse Cæmeterium, si Ecclesiæ est contiguum, alias secus.

Si autem Cæmeterium est violatum, non ideo Ecclesia est execrata, ne minus dignum videatur trahere magis dignum.

Quod si duo Cæmeteria sint contigua, intercedente tamen pariete, vno ex illis polluto, aliud non censetur esse pollutum, etiamsi porta esset in pariete, per quam accessus esset ab vno ad aliud. Quocunq; autem modo sit pollutum Cæmeterium nemo sepeliri in eo debet, antequam reconcilietur.

Et quoties reconciliandum erit ob sepultum in eo Hæretirum aut infidelem, prius corpus exhumandum est, & proijciendum, si discerni potest, vti de Ecclesia dictum est. Quando Ecclesia vel Cæmeterium occultè polluitur, & pollutio non deuenit ad notitiam hominum, non est opus reconciliatione: Polluens tamen Ecclesiam secretò, tenetur ad grauem pœnitentiam, & est casus Episcopalis, ratione sacrilegij.

Altare

Altare est duplex. Vnum scilicet stabile & fixum: alterum mobile seu portatile, quod & viaticum appellatur. Vtrunq; consecratur per Episcopum. Portatilis vsus est in defectu non consecratorum, vel non reconciliatorum altarium stabilium: super quo tamen in Ecclesia non consecrata, celebrare non licet absque licentia Episcopi. Quotiens verò Ecclesia execratur, seu polluitur, totiens etiam altare stabile consecratum in ea existens polluitur, & è contra, & in tali altari sic polluto, celebrari non debet, donec reconcilietur. Altare autem reconsecrari debet in casu fractionis, vel destructionis, aut motionis sigilli altaris portatilis, aut tabulæ seu mensæ lapidis violatæ, vel effractæ, aut destructæ. De quorum aliquo ex præmissis, si dubitet, aut non sit resolutus Sacerdos, consulere debet Episcopum, aut eius Vicarium.

THVRIFICATIONIS MODVS

in Vesperis.

THurificatio altarium, fit tantùm more Romanæ Ecclesiæ in primis Vesperis festorum solennium. Vnde sequitur, quòd exceptis Vigilijs, in tribus sequentibus diebus festis, Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, omitti debet: similiter & in alijs diebus festis, nisi à Capitulo fiat Officium de futuro festo solenni. Fieri autem debet hoc ordine: Ad Canticum Magnificat, Officians in pluuiali, tempori congruenti, ante maius altare, accipit à Diacono vel ministro thuribulum, accensum: & imposito ex nauicula incenso, dicente Diacono: Iube Domne benedicere. Respondet benedicendo in forma crucis: Incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suauitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Deinde accedit ad maius altare, & illud osculatur; ibiq; accepto à ministro thuribulo, facta reuerentia, incæpto Magnificat, incensat altare maius, eo modo, qui in Missali de thurificatione in Missa solenni præsciptus est. Si verò venerabile Sacramentum in altari expositum est, vel ibi sit Ciborium, prius illud thurificet, triplici ductu. Deinde crucem & ipsum altare, dicendo: Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Finita thurificatione, reddit thuribulum ministro, & facta reuerentia (seu venerabili Sacramento genuflexione) recedit. Deinde si Ciborium sit in

um sit in vicino altari, ad illud adolendum procedatur; alioqui si remotius fuerit, in suo ordine incensetur. Poterit autem omitti, vel etiam pro maioris festi solennitate fieri aliorum altarium thurificatio, prouiso, vt ante finem Cantici **Magnificat**, tempestiuè ad proprium locum Officians redeat, vbi stans ab assistente seniore Sacerdote, thurificari debet. Clerum autem & populum thurificabit, si adest, Vicarius vel Subdiaconus, seu ipse hebdomadarius, iuxta locorum consuetudinem. Aduertat autem is qui incensat, vt ab incensatione tunc desistat, cùm officians incipit velle cantare, **Dominus vobiscum**, ante orationem, hoc est cantu, Magnificat, finito.

Cæterum altaria non thurificentur, nisi candelæ in eis accensæ, & mensæ altarium decenter fuerint ornatæ.

EXCEPTIO NOVI ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI.

Ad primum Ciuitatis ingressum, post consecrationem.

Maior Prælatus, siue Rector Ecclesiæ, superpellicio & pluuiali prætiosiore indutus, cum suo Clero, & vniuerso populo, præcedentibus vexillis & candelis, ac Sacerdotibus reliquias deferentibus, nouum Antistitem ad primum ingressum post consecrationem excepturus, extra ciuitatem processionaliter vadat, vsque ad oratorium, seu locum aliquem decentem, in quo mensa (vbi altare nullum est) strata sit, ad reponendum in eam Sanctorum Reliquias.

Tunc Prælatus seu Rector, flexis ad eandem mensam genibus, crucem aut alias reliquias, Episcopo postquam Offertorium fecerit, similiter genua flectenti, exosculandas, debita reuerentia porrigat: Et tunc cum cantu Responsorij, **Posui adiutorium super potentem, &c.** (vt post lectionē quintam, de Communi Confessoris Pontificis) vsq; in Ecclesiā deducatur.




po ten tem, & exal ta ui e le-
ctum de ple be me a:
Ma nus e nim me a au xi-
lia bitur e i.
℣. I nueni Dauid ſer uum me um, o-
leo ſancto meo vn xi e-
um. Ma nus.

Quodſi

Quod si non sufficiat, canatur etiam Responsorium de Patrono Ecclesiæ illius, resonantibus interim Ecclesiæ campanis. Ingrediente autem Episcopo Ecclesiam, mox solenniter incipiatur Canticum, Te Deum laudamus. Ibidemq; statim Prælatus offert Episcopo reuerenter aspersoriũ cum aqua benedicta, quo aspergit Episcopus primò seipsum, deinde alios. Tum deducitur ad altare maius, vbi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato, siue cathedra parata, procumbit, vel alias ad pedem eiusdem altaris genua flectit, & orat. Finito autem cantico, Prælatus eiusdem Ecclesiæ, super eo in cornu Epistolæ altaris versus ad orantem dicat;

℣. Exaltent eum in Ecclesia plebis. ℟. Et in cathedra seniorum laudent eum. ℣. Mitte ei auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. O remus.

DEvs omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum Episcopum nostrum, quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest proficere, vt ad vitam vna cum grege sibi credito, perueniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea surgens Episcopus assumpta stola, ascendit ad altare, illudq; in medio exosculatur, vbi stans dat benedictionem solennem populo, dicens:

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vsq; in sæculum. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Benedicat vos omnipotens Deus Pa ✠ ter, & Fi ✠ lius, & Spiritus ✠ sanctus. ℟. Amen.

Quibus sic peractis, Prælatus, Sacerdotes, & alij, depositis paramentis, comitantur Episcopum ad Palatium suum, seu Diuersorium.

INTRO-

INTRODVCTIO NOVI PLEBANI, SEV BENEFICIATI.

EXecutor requisitus à Plebano seu Beneficiato, vigore tituli sui, visis autenticis & originalibus literis, Inuestituræ seu prouisionis illius, curet conuocari Clerum & populum pro testimonio, per pulsum campanæ maioris. Et intronizandus indutus superpelliceo & stola, flectat genua ante fores Ecclesiæ: & introducens ipsum similiter indutus, & genua flectens, dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Et oret cum ipso Psalmum: Miserere mei Deus, secundũ magnã, &c. quilibet suũ versum. Finito Psalmo, dicant simul: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria. Et surgens introducens, dicat:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Sacerdotes tui induantur iustitiam. ℟. Et Sancti tui exultens. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Deus custodiat introitum & exitum tuum. ℟. Ex hoc nunc, & vsq; in sæculum. Oremus.

PRætende Domine, famulo tuo, dexteram cælestis auxilij; vt te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea tradat ei claues Ecclesiæ, dicens:

Accipe has claues. vt ijsdem aperias ac claudas, quibus & quando oportet: in nomine Domini.

Aperto posthac per eum ostio, inducat eum, porrecta ei stola, executor: dicens:

Ingredere in domum Dei, cuius pietate ad ministerium ipsius vocatus es, vt cum grege tibi credito, vitam ingredi merearis sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et aspergat eum aqua benedicta. Deinde præcedente Clero, qui hactenus intra Ecclesiam ad fores præstolabatur, vadunt ad summum altare, vbi ambo genua flectentes, facta breui oratione, ascendunt ad planum altaris. Et tunc Executor, intronizando modicum inclinato ad altare, tangentiq; ambabus manibus ipsum altare, in medio tradat possessionẽ, dicẽs:

Authoritate & mandato Domini nostri Reuerendissimi N. Episcopi N. mitto te in corporalem & actualem huius Ecclesiæ possessionem, constituens te Rectorẽ eius, in spiritualibus & temporalibus, ac curam animarum illius tibi committens, quam ita administrabis in animam tuam; vt in die Iudicij, Deo rationem administrationis tuæ reddere valeas. Et propterea tibi de ipsius fructibus & obuentionibus, ab his quorum interest, responderi iubeo: In nomine Patris, & Fi ✠ lij, & Spiritus sancti. Amen.

Quo peracto, intronizatus facto signo Crucis in medio altaris, exosculetur illud, & si adest Clerus, cantetur Antiphona de Patrono Ecclesiæ, cum Versu & Collecta, quam nouus Rector dicat. His peractis, pulsentur omnes campanæ, & decantetur, Te Deum laudamus. Demum Executor, aut alius quispiam ad hoc idoneus, commendet eum populo, & iubeat, vt illi tanquam Rectori de cætero obediant, & de omnibus prouentibus & iuribus, integrè respondeant. Si verò authoritate Papæ possessio danda est, dicatur: Authoritate & mandato Sanctissimi Domini Nostri Papæ, mitto te in corporalem, &c.

Postremò de Ecclesia intrando domum Plebani, dicat Executor:

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea

Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle, & Angeli tui sancti nos in pace custodiant: Et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In simplicibus verò beneficijs, vtpotè, Vicarijs & Altaristis, ac cæteris, Executor, vt suprà, & inducendus, superpelliceo induti, coram Notario (si haberi possit) & testibus ad hoc rogatis, & præsentibus aliquibus eius Ec.

eius Ecclesiæ Beneficiatis, si qui sint, vadunt ad altare beneficij, vbi genua flectunt; factaq; breui Oratione, Executor tradat possessionem Beneficiato, dicens:

Authoritate & mandato Domini nostri Reuerendissimi Episcopi N. mitto te in corporalem & actualem huius Vicariæ (Altaris) Sancti N. possessionem, committens tibi administrationem spiritualem & temporalem ipsius, cuius administrationis rationem in die iudicij, te Domino redditurum scias. Iubeo præterea tibi de ipsius fructibus & obuentionibus, ab his quorum interest, responderi. In nomine Patris, & Fi ✠lij, & Spiritus sancti Amen.

Quo peracto, intronizatus facto signo Crucis in medio altaris, exosculetur illud; postremò Executor aspergat eum aqua benedicta.

PRECES CONTRA MALEFICIA & incantationes.

Sanctus Hilarion Eremitarum Abbas, Dæmonum acerrimus exagitator, expertus dicere solebat; dæmones tanto in homines flagrare odio, vt non solùm ipsos, sed etiam animalia, & alias creaturas eis ad vsum destinatas, impetere soleant. Exemplum in B. Iob, quem spiritus nequam in corpore à vertice ad plantam, non prius afflixit, quàm omnia eius bona, vno quasi momento, perdidisset. Quod plerumq; dæmones faciunt, per malignos homines, veluti sua instrumenta. Non tamen vltrà quàm Deus permiserit: vt patet maleficijs magorum Pharaonis: & si autem Deus, eiusmodi plagas sæpè permittat propter probationem & coronam, in bonis & innocentibus, sæpius tamen eas infligit in pœnam delinquentibus. Initium ergo remedij est, in talibus calamitatibus ad ipsum recurrere, per veram pœnitentiam, & satisfactionem eorum, quæ ad Deum & proximum pertinent. Deinde recurrendum est ad orationem Ecclesiæ, per sacrificia, orationes, elemosynas, & ieiunia. Licet etiam maleficia abscondita inquirere, & inuenta comburere. Non tamen licet, maleficium maleficio auertere & tollere. His remedijs, vbi malum non desierit, vtendum erit sequenti formula.

Igitur Sacerdos depulsurus eiusmodi maleficia, firma fide, & integritate vitæ præditus esse, & vel pridie tantùm ieiunare, ipsa vero die depulsionis Mis-

Preces contra Maleficia

onis Missam accommodatam negotio celebrare prius debet. Ac in templo quidem veste linea & stola, extra templum autem stola tantùm amictus, & incantatum siue maleficio affectum hominem, vel animalia ante se habens, aut si locus incantatus est, in eo stans, parata aqua, & thure, vel herbis benedictis, deuotè sic oret.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
Aue Maria. Credo.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus cælorum, terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt, conditor & moderator; qui Sathanam extollentem sese aduersus mentem tuam, vnâ cum assectis ipsius, sicut fulgur de cœlo præcipitasti, & ministrorum eius magorum Pharaonis Moysi seruo tuo resistentium, incantationes & maleficia inefficacia reddidisti: te supplices oramus, vt incantationes, præstigias, & maleficia, huic famulo tuo (huic famulæ tuæ) (vel huic loco) (vel in his creaturis tuis) improba fraude dæmonum (meritis peccatorum nostrorum fortassis) intenta & inflicta, omnipotenti virtute tua & clementi bonitate dimoueas, auertas, & itidem inefficacia reddas, quo tyrannide eorum liberati, tibi Domino Deo nostro expeditiùs seruiamus, & nomen sanctum tuum studiosiùs celebremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Oremus.

DOmine Iesu Christe Fili Dei viui, qui de sinu Patris in terras descendisti, vt opera diaboli dissolueres, & discipulis tuis dedisti potestatem calcandi serpentes, & scorpiones: te supplices precamur, vt eos ipsos antiquos serpentes atq; dracones diabolos, qui in hoc,

in hoc famulo tuo (hac famula tua) (vel in hoc loco) (vel in his creaturis tuis) tyrannidem sibi vsurpant, pedibus familiæ tuæ potenter subijcias, & opera eorum, quæ adducti incantationibus & maleficijs hominis mente corrupti, & sibi dediti, in perniciem serui tui (vel seruorum tuorum) machinantur & exercent; diuina clementia & virtute tua dissoluas, & inefficacia reddas. Qui cum eodem Patre tuo, & Spiritu sancto, Deus vnus regnas in sæcula sæculorum. Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo & adiuro vos maledicti diaboli, quicunque & quotquot estis, qui incantationibus, maleficijs, & nefarijs artibus addicti vobis hominis adducti, hominem hunc (vel locum hunc) (vel has Dei creaturas) perniciosè vexatis & exagitatis, vt hinc statim cum omnibus præstigijs & maleficijs vestris discedatis, nec vllam vobis deinceps potestatem in hunc hominem (vel in hunc locum, vel in has Dei creaturas) vsurpetis. Hoc autem non mea virtute, vel meritis, vobis præcipio, sed in nomine Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti; & in virtute sanctæ ✠ Crucis, & mortis Christi Domini nostri, per quam potestas omnis tenebrarum, & tyrannis vestra in homines, & omnes creaturas Dei, eneruata & exinanita est. Recedite ergo, & fugite hinc illicò, & date locum Dei potentiæ, dissoluentis opera vestra maligna, per immensam misericordiam suam. Increpet in vos digitus Dei, qui magorum Pharaonis incantationes inefficaces reddidit, & cuius virtutem tunc agnouistis, cùm Pauli Apostoli imperio, vim vestram in Elymam magum, & mancipium vestrum (ad cuius nutum multis nocebatis) conuertistis; & cùm in S. Iustinam, incantante, & vos vrgente Cypriano, nihil profecistis. Sit super vos etiam nunc terror Dei omnipotentis, qui vos in ignem æternum præcipitaturus est: Pa ✠ ter, & Fi ✠ lius, & Spiritus ✠ sanctus Amen.

His di-

His dictis aspergatur homo, vel locus, vel iumenta, & pecudes incantatæ & maleficiatæ, aqua benedicta: & suffitu thuris, vel herbarum benedictarum, lustrentur, siue incensentur.

DE EXORCIZANDIS
Obsessis à dæmonio.

Sacerdos, seu quiuis alius legitimus Ecclesiæ minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, ea qua par est pietate, prudentia, ac vitæ integritate, præditus esse debet, qui non sua, sed diuina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate, constanter, & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum grauitate reuerendum.

Vt igitur suo munere rectè fungatur, cùm alia multa sibi vtilia documenta, quæ breuitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis auctoribus, & ex vsu nosse studeat; tum hæc pauca magis necessaria diligenter obseruabit.

Inprimis ne facilè credat, aliquem à dæmone obsessum esse; sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab ijs, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia, & occulta patefacere; vires supra ætatis, seu conditionis naturam ostendere; & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, maiora sunt indicia.

Hæc autem vt magis cognoscat, post vnum, aut alterum Exorcismum interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore, vt sciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, vt ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Aduertat, quibus artibus, ac deceptionibus, vtantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim vt plurimum fallaciter respondere, & difficile se manifestare, vt Exorcista dum defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse à dæmone vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti, abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, vt infirmus putet se omnino esse liberatum: sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcunq; possunt impedimenta, ne infirmus se subijciat exorcismis, vel conantur persuadere infirmitatem esse naturalem; interdum in medio exorcismi faciunt dormire infirmum, & ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, vt infirmus liberatus videatur. Aliqui ostendunt

fictum

factum maleficium, & à quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum; sed caueat, ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiæ ministros confugiat, aut vlla superstitione, aut alio modo illicito vtatur. Quandoq; diabolus infirmum quiescere, & suscipere Sanctissimam Eucharistiam permittit, vt discessisse se videatur. Denique innumerabiles sunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

Quare memor, Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, quod non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium; Matth: 17. hæc duo potissimum remedia ad impetrandum diuinum auxilium, dæmonesq; pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quoad eius fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi.

In Ecclesiam, si commodè fieri potest, vel in alium religiosum, & honestum locum, seorsum à multitudine perductus energumenus exorcizetur, sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta de causa, in domo priuata exorcizari poterit.

Admoneatur obsessus, si mente & corpore valet, vt pro se oret Deum, ac ieiunet, & sacra confessione, & communione, sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat: & dum exorcizatur, totum se colligat, & ad Deum conuertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cùm vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conspectu, Crucifixum. Reliquiæ quoq; Sanctorum, vbi haberi possint, decenter, ac tuto colligatæ, & coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reuerenter admoueantur: sed caueatur, ne res sacræ indignè tractentur, aut illis à dæmone vlla fiat iniuria. Sanctissima verò Eucharistia super caput obsessi, aut aliter eius corpori non admoueatur ob irreuerentiæ periculum.

Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut superuacaneis, vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris, & occultis, ad suum munus non pertinentibus; sed iubeat immundum spiritum tacere, & ad interrogata tantum respondere, neq; ei credatur, si dæmon simularet, se esse animam alicuius Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ verò interrogationes sunt, vt de numero, & nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, & alijs huiusmodi. Cæteras autem dæmonis nugas, risus, & ineptias, Exorcista cohibeat, aut contemnat; & circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc curent, neq; ipsi interrogent obsessum; sed potius humiliter, & enixè, Deum pro eo precentur.

Exorcismos verò faciat, ac legat cum imperio, & auctoritate, magna fide,

& humilitate, atq; feruore: & cùm viderit spiritum valde torqueri, tunc magis instet, & urgeat: & quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoueri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, & aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Obseruet etiam, ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat; & quando peruenerit ad comminationem, eam iterum, & sæpius proferat, semper pœnam augendo, ac si videat se proficere, in ipsa perseueret, per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

Caueat proinde Exorcista, ne vllam medicinam infirmo, vel obsesso, præbeat, aut suadeat: sed hanc curam Medicis relinquat.

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur à dæmonio; quæ quidem personæ sint patienti, si fieri potest, cognatione proximæ, atq; honestatis memores. Exorcista caueat, ne quid dicat, vel faciat, quod sibi, aut alijs occasio esse possit prauæ cogitationis.

Dum exorcizat, vtatur sacræ scripturæ verbis potius, quam suis, aut alienis. Iubeatq; dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, euomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea reuelet, & inuenta comburantur. Moneatur etiam obsessus, vt tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

Si verò obsessus liberatus fuerit, moneatur, vt diligenter sibi caueat à peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum reuertendi, ne fiant nouissima hominis illius peiora prioribus.

Itaq; Sacerdos, siue alius Exorcista ritè confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commodè fieri potest, Sanctissimo Missæ Sacrificio, Diuinoq; auxilio pijs precibus implorato, superpelliceo, & stola violacea, cuius extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, & astantes, communiat signo Crucis, & aspergat aqua benedicta, & genibus flexis, alijs respondentibus, dicat Litanias ordinarias vsq; ad Preces, exclusiuè. In fine Antiphona: Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neq; vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 53.

DEvs in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei
Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectũ suum.
Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animę meę.
Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.
Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.
Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.
Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEvs, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum, vel famulam tuam, quem, vel quam, delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam tyrannum, & apostatam, gehennæ ignibus deputasti, quiq; vnigenitum tuum in hunc mundum misisti; vt illum rugientem contereret, velociter attende, accelera, vt eripias hominem, ad imaginem & similitudinem tuam creatum. à ruina, & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam seruis tuis, contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui iam dixit, Deum non noui, nec Israel dimitto. Vrgeat illũ dextera

dextera tua potens, discedere à famulo tuo N. vel famula tua N ✠ ne diutius præsumat captiuum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti. Qui tecum viuit, & regnat, &c. ℟. Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum:

PRæcipio tibi, quicumq; es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis, hunc Dei famulum obsidentibus, vt per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, per missionem Spiritus sancti, & per aduentum eiusdem Domini nostri IESV Christi ad iudicium, dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui cum aliquo signo; vt mihi Dei ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias: neq; hanc Creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona vllo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Euangelia, vel vnum, aut alterum Lectio sancti Euangelij secundum Ioannem. hæc dicens signat se, & obsessum in fronte, ore & pectore. In principio erat verbum, &c. vt supra fol: 198.

Lectio sancti Euangelij secundum Marcum. *Marc: 16.*

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam. *Luc: 19.*

IN illo tempore: Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes ad Iesum: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine

mine tuo. Et ait illis: Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: verumtamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam. *Luc: 11.*

IN illo tempore Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum, & cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum, eijcit dæmonia: & alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò, si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet, si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Iesu, Deus, & Dominus vniuersæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: dæmones effugate: cuius virtute motus tanquam fulgur de cœlo sathanas cecidit: tuum sanctum nomen cum timore & tremore supplici-

citer deprecor, vt indigniſſimo mihi ſeruo tuo, data venia omnium delictorum meorum, conſtantem fidem, & poteſtatem donare digneris: vt hunc crudelem dæmonem, brachij tui ſancti munitus potentia. fidenter & ſecurus aggrediar, per te Ieſu Chriſte, Domine Deus noſter, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens ſe, & obſeſſum ſigno crucis, circumpoſita parte ſtolæ ad collum eius, & dextera manu ſua capiti eius impoſita conſtanter, & magna cum fide dicat ea, quæ ſequuntur:

℣. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduerſæ. ℟. Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcũ. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, inuoco nomen ſanctum tuum, & clementiam tuam ſupplex expoſco, vt aduerſus hunc, & omnem immundum ſpiritum, qui vexat hoc plaſma tuum, mihi auxilium præſtare digneris. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti, &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te, immundiſſime ſpiritus, omnis incurſio aduerſarij, omne phantaſma, omnis legio in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ✠ eradicare, & effugare ab hoc plaſmate Dei ✠ ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui mari, ventis, & tempeſtatibus imperauit. Audi ergo, & time Sathana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iuſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum: quid ſtas, & reſiſtis, cum ſcias, Chriſtum Dominum vi-

res tuas

vires tuas perdere? illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit. Sequentes Cruces fiant in fronte obsessi. Recede ergo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus sancti, ✠ da locum Spiritui sancto, per hoc signum ✠ Crucis Iesu Christi Domini nostri. Qui cum Patre, & eodem Spiritui sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus conditor, & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum N. vel hanc famulam tuam N. qui, vel quæ, dolis immundi spiritus appetitur, quem vetus aduersarius, antiquus hostis terræ, formidinis horrore circumuolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat Repelle Domine virtutem diaboli, fallaceſq; eius insidias amoue: procul impius tentator aufugiat: sit nominis tui signo ✠ (in fronte) famulus tuus munitus, & in anima tutus, & corpore. Tres Cruces sequentes fiant in pectore dæmoniaci. Tu pectoris ✠ huius internacustodias. Tu viscera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes: in anim a aduersatricis potestatis tentamenta euanescant. Da Domine ad hanc inuocationem Sanctissimi nominis tui gratiam, vt qui huc vsq; terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat, tibiq; possit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente sincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, &c. ℟ Amen.

Exorcismus.

ADiuro te serpens antique, per Iudicem viuorum, & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui

habet

habet potestatem mittendi te in gehennam, vt ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, & exercitu furoris tui, festinus discedas. Adiuro te iterum ✠ (in fronte) non mea infirmitate, sed virtute Spiritus sancti; vt exeas ab hoc famulo Dei N. quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede, non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te vrget potestas, qui te Cruci suæ subiugauit. Illius brachium contremisce, qui deuictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis ✠ (in pectore) sit tibi formigo imago Dei ✠ (in fronte.) Non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus: ✠ imperat tibi Maiestas Christi: ✠ imperat tibi Deus Pater: ✠ imperat tibi Deus Filius: ✠ imperat tibi Deus Spiritus sanctus: ✠ imperat tibi Sacramentum Crucis: ✠ imperat tibi fides Sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli, & cæterorum Sanctorum: ✠ imperat tibi Martyrum sanguis: ✠ imperat tibi continentia Confessorum: ✠ imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum omnium intercessio: ✠ imperat tibi Christianæ fidei mysteriorum virtus. ✠ Exi ergo transgressor; exi seductor, plene omni dolo, & fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum ditissime; da locum impijssime; da locum Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis, qui te spoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit, & vasa tua diripuit: qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente retineris? quid temerariè detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cuius statuta transgressus es. Reus es Filio eius Iesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus morti venenum propinasti.

Adiuro ergo te draco nequissime, in nomine Agni ✠ immaculati,

culati, qui ambulauit super aspidem & basiliscum; qui conculcauit leonem & draconem, vt discedas ab hoc homine ✠ (fiat in fronte) discedas ab Ecclesia Dei ✠ (fiat signum Crucis super circumstantes) contremisce, & effuge, inuocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui virtutes cœlorum, & Potestates, & Dominationes, subiectæ sunt, quem Cherubim & Seraphim, indefessis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deos Sabaoth. Imperat tibi verbum ✠ Caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Virgine. Imperat tibi Iesus ✠ Nazarenus, qui te, cùm discipulos eius contemneres, elisum, atq; prostratum exire præcepit ab homine, quo præsente cùm te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas. Recede ergo nũc adiuratus in nomine ✠ eius, ab homine, quem ipse plasmauit. Durum est tibi velle resistere. ✠ Durum est tibi contra stimulum calcitrare. ✠ Quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit, quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur viuorum, & mortuorum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrũ, Deus Virginum, Deus qui potestatem habes, donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu creator cœli & terræ, qui verus Rex es, & cuius regni non erit finis; humiliter maiestati gloriæ tuæ supplico, vt hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus.

ADiuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phanta-

sma, omnis incursio sathanæ, in nomine Iesu Christi ✠Nazareni, qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit, vt quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo, ✠qui te, & malitiam tuam in Pharaone, & in exercitu eius per Moysen seruum suum, in abyssum demersit. Cede Deo, ✠qui te per fidelissimum seruum suum Dauid, de Rege Saule, spiritualibus Canticis pulsum fugauit. Cede Deo, ✠qui te in Iuda Iscariote proditore damnauit. Ille enim te Diuinis ✠verberibus tangit, in cuius conspectu, cum tuis legionibus tremens, & clamans dixisti: Quid nobis, & tibi Iesu Fili Dei Altissimi? Venisti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis vrget, qui in fine temporum dicturus est impijs: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Tibi enim impie, & Angelis tuis, vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi, & angelis tuis, inextinguibile præparatur incēdium, quia tu es princeps maledicti homicidij; tu auctor incæstus, tu sacrilegiorum caput, tu actionum pessimarum magister: tu hæreticorum doctor, tu totius obscænitatis inuentor. Exi ergo ✠impie, exi ✠scelerate. Exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse voluit Deus Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri omnipotenti, ✠cui omne genu flectitur. Da locum Domino Iesu Christo, ✠qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui ✠sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum, te manifestè strauit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira, condemnauit; qui te in Herode Rege honorem Deo non danti, percussit; qui te in mago Elima, per Apostolum suum Paulum, cœcitatis caligine perdidit, & per eundem de Phytonissa verbo imperans, exire præcepit. Discede ergo nunc, ✠discede ✠seductor. Tibi eremus se-

mus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare & prosterne-re. Iam non est differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat cito, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te eijcit, cuius oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt. Ille te excludit, qui tibi, & angelis tuis, præparauit æternam gehennā: de cuius ore exibit gladius acutus; qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omninò liberatus.

Iuuabit præterea plurimum, hæc, quæ infra notantur, super obsessum deuotè dicere, sæpèq; repetere; Pater noster. Aue Maria. Credo.

Canticum B. Mariæ Virginis. *Luc: 1.*

MAgnificat anima mea Dominum.
Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.
Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.
Fecit potentiā in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.
Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.
Sicut locutus est ad patres nostros: Abrahā & semini eius in sæcula.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, &c.

Canticum Benedictus Dominus Deus Israel. vt supr: fol: 235.

Symbolum Sancti Athanasij.

QVicunque vult saluus esse: ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inuiolatamq; seruauerit: absq; dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neq; confundentes personas: neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filij: alia Spiritus sancti.

Sed Patris & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas: æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius: increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius: immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius: æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni: sed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus, & vnus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dij: sed vnus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini: sed vnus est Dominus

Quia sicut singillatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita vt per omnia, sicut iam supra dictum est, & vnitas in Trinitate: & Trinitas in vnitate veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse: ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem: vt incarnationem quoq; Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur: quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo ex substantia Matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundùm diuinitatem: minor Patre secundùm humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus.

Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confusione substantiæ: sed vnitate personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica: quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit.

Gloria Patri & Filio, &c.

Psal. Qui habitat in adiutorio, &c. vt supra, fol: 225.

Psalmus 97.

EXurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius

Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum. (domo.

Deus in loco sancto suo: Deus, qui inhabitare facit vnius moris in

Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui: cum pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim cœli distillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Israel.

Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est: tu verò perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum Euangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam: niue dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis

Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem: accepisti dona in homi-
Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum. (nibus.

Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis
Deus salutarium nostrorum. (tis.

Deus noster, Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mor-
Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verti-
cem capilli perambulantium in delictis suis. (maris.

Dixit Dominus; Ex Basan conuertam: conuertam in profundum
Vt intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

Præuenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuuencularum tympanistriarum.

In Ecclesijs benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu. (phtali.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Ne-

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in
A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera. (nobis.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli: ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabi-

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri, &c. Psalmus 69.

DEvs in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes; qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper; Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus adiua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu; Domine ne moreris.

Gloria Patri, &c. Psal: 53. Deus in nomine tuo saluum me fac, vt supra, fol: 250. Psalmus 117.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc Iseael quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine (Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me; & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Im-

Impulsus eversus sum vt caderem : & Dominus suscepit me.
Fortitudo mea,& laus mea Dominus:& factus est mihi in salutem.
Vox exultationis & salutis : in tabernaculis iustorum.
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.
Non moriar sed viuam : & narrabo opera Domini.
Castigans castigauit me Dominus : & morti non tradidit me.
Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.
Confitebor tibi quoniam exaudisti me : & factus es mihi in salutẽ.
Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes : hic factus est in caput anguli.
A Domino factum est istud : & est mirabile in oculis nostris.
Hæc est dies, quam fecit Dominus : exultemus & lætemur in ea.
O Domine saluum me fac, ô Domine benè prosperare : benedictus qui venit in nomine Domini.
Benedixímus vobis de domo Domini : Deus Dominus, & illuxit (nobis.
Constituite diem solemnem in condensis : vsq; ad cornu altaris.
Deus meus es tu,& confitebor tibi:Deus meus es tu,& exaltabo te.
Confitebor tibi quoniam exaudisti me : & factus es mihi in salutẽ.
Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia eius.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 34.

IVdica Domine nocentes me : expugna impugnantes me.
Apprehende arma & scutum : & exurge in adiutorium mihi.
Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me : dic animæ meæ, Salus tua ego sum.
Confundantur & reuereantur : quærentes animam meam.
Auertantur retrorsum, & confundantur : cogitantes mihi mala.
Fiant tanquam puluis ante faciem venti : & Angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ & lubricum · & Angelus Domini perſequens eos.

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui: ſuperuacue exprobrauerunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.

Surgentes teſtes iniqui: quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ.

Ego autem cùm mihi moleſti eſſent: induebar cilicio.

Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo conuertetur.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam: quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.

Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.

Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

Domine quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

Confitebor tibi in Eccleſia magna: in populo graui laudabo te.

Non ſuper gaudeant mihi qui aduerſantur mihi inique: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilatauerunt ſuper me os ſuum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi noſtri.

Vidi-

VIdisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.
EXurge, & intende iudicio meo: Deus meus & Dominus meus in causam meam.
IUdica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus: & non supergaudeant mihi.
NOn dicant in cordibus suis, Euge, euge, animæ nostræ, nec dicant: Deuorauimus eum.
ERubescant & reuereanrur simul, qui gratulantur malis meis.
INduantur confusione & reuerētia: qui magna loquūtur super me.
EXultent & lætentur, qui volunt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.
ET lingua mea meditabitur iustitiam tuam: tota die laudem tuam.
Gloria Patri, & Filio, &c. Psalmus 30.
IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.
INclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me.
ESto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt saluum me facias.
QUoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.
EDuces me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.
IN manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.
ODisti obseruantes vanitates: superuacue.
EGo autem in Domino speraui: exultabo, & lætabor in misericordia tua.
QUoniam respexisti humilitatem meam: saluasti de necessitatibus animam meam.
NEc conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sũt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis: & timor notis meis.

Qui videbant me foras fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.

Factus sum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum conuenirent simul aduersum me: accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speraui Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum: & à persequentibus me.

Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua: Domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Erubescant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem: in superbia, & in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ: à conturbatione hominũ.

Protreges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Proiectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.

Diligite

Diligite Dominum omnes Sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & tribuet abundanter facientibus superbiam.
Viriliter agite, & confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.
Gloria Patri, &c.

Psalmus 21.

DEvs, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.
Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.
Tu autem in sancto habitas: laus Israel.
In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.
Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.
Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. (caput.
Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerũt
Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eũ, quoniã vult eũ.
Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero.
De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris à me.
Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet.
Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.
Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens & rugiens.
Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.
Factum est cor meum tanquã cera liquescens: in medio vẽtris mei.
Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.
Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.
Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.

Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.

Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis animā meā.

Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatē meā.

Narrabo nomen tuū fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non spreuit neq; despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, & conuertentur ad Dominū: vniuersi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu eius: vniuersæ familiæ gentium.

Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi.

Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego

Ego dormiui, & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus susce-
pit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salu-
um me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: den-
tes peccatorum contriuisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 10.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmi-
gra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagit-
tas suas in pharetra: vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: iustus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes eius.

Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant fi-
lios hominum.

Dominus interrogat iustum & impium: qui autem diligit iniqui-
tatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus pro-
cellarum pars calicis eorum.

Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit
vultus eius.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 12.

VSquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis
faciem tuam à me? (per diem.

Quam diu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi
me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quan-
do dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in mise-
ricordia speraui.

Exulta-

Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini Altissimi.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Oratio post liberationem.

ORamus te Deus omnipotens, vt spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc famulo tuo N. vel famula tua N. sed vt fugiat, & non reuertatur. Ingrediatur in eum, vel in eã, Domine, tu iubente, bonitas, & pax Domini nostri Iesu Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

FORMVLÆ SCRIBENDI IN LIBRIS habendis apud Parochos, vt infra notatur.

LIber baptizatorum habeatur in Ecclesijs, in quibus confertur baptisma.
Liber confirmatorum habeatur in Ecclesijs, in quibus confertur Chrisma.
Liber Matrimoniorum.
Liber status animarum.
Liber defunctorũ habeatur etiam in omnibus Ecclesijs, in quibus defuncti sepeliuntur,

} Hi tres habeantur à quolibet Parocho.

Aduertat inprimis Parochus, vt in libris tàm Baptizatorum, & confirmatorum, quàm Matrimoniorum, & defunctorum, exprimat semper non solùm nomen personarum; quæ ibi nominantur; sed etiam familiam.

FOR-

Forma describendi Baptizatos in primo libro.

Anno Domini Die Mensis Ego N. Parochus huius Ecclesiæ S. N. Ciuitatis, vel loci N. baptizaui infantem die natum, vel natam ex N. & N. coniungibus huius, vel Parochiæ S. N. & ex tali patria, & familia, cui impositum est nomen N. Patrini fuerunt N. filius N. ex Parochia, seu loco A. & N. coniunx N. filia N. ex parochia, seu loco. N.

Si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur, (omnis tamen infamiæ vitetur occasio) si vero de neutro constat, ita scribatur.

Baptizaui infantem, cuius parentes ignorantur, natum die, &c. vt suprà.

Si expositus sit infans, exprimatur, quo die, vbi, & à quo repertus, & quot dierum verisimiliter sit, & baptizetur sub conditione, si ignoratur fuisse baptizatum.

Si infans domi, ob imminens mortis periculum, baptizatus sit, tunc ita scribatur.

Anno Die Mensis Natus est N. filius N. & N. cõiugum, &c. vt supra. quem ob imminẽs mortis periculum in domo ritè baptizauit N. obstetrix probata, vel N. filius N. vt mihi retulit N.

Si superuixerit infans, & adhibitæ sint in Ecclesia sacræ cæremoniæ, ita addatur:

Die eiusdem mensis ad Ecclesiam portatus est infans prædictus, ipsiq; ego Parochus, sacras cæremonias & preces adhibui, & N. nomen imposui.

Si fortè non Parochus, sed alius baptizauerit, id exprimatur.

Si fuerit baptizatus sub conditione, (si non es baptizatus, &c. id pariter exprimatur.

Forma describendi Confirmatos, in secundo libro.

Anno die mensis, &c. Qui fuit dies, &c. N. filius N. & N. Coniugum, N. vel filia N. (& si fuerit nupta, addatur vxor N.) Sacramentum Confirmationis accepit à Reuerendiss: D. N. Episcopo N. in Ecclesia S. N. Ciuitatis, N. loci N. Compater fuit N. filius N. Parochiæ S. N. Ciuitatis vel loci N.

Marium descriptio in vna pagina, seu prima facie folij; fœminarum verò in altera seiunctim notetur.

Si confirmatus non constet, an ex legitimo matrimonio genitus sit, vel parentes ignorentur; seruetur, quod in libro Baptizatorũ præscriptũ est.

Forma scribendi Coniugatos in tertio libro.

Anno Die Mensis denunciationibus præmissis, tribus continuis diebus Festiuis, quarum prima die secunda die tertia die inter Missæ Parochialis solemnia, habita est, nulloq; legitimo impedimento detecto, ego N. Rector huius Ecclesiæ Parochialis N. Ciuitatis vel loci N. filium N. Parochiæ S. N. & N. filiam N. seu relictamq; N. (si vidua fuerit) huius seu Parochiæ S. N. in Ecclesia N. interrogaui, eorumq; mutuo consensu habito, solenniter per verba de præsenti matrimonio coniunxi, præsentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in Parochia S. N. & N. filio N. &c. & N. filio N. &c. postea eis ex ritu Sanctæ Matris Ecclesiæ, (seu si tamen nuptias benedixerit) in Missæ celebratione benedixi.

Si vnus ex ijs, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cuius Ecclesia Matrimonium celebrari debet, denunciationum in eius Parochia ritè factarum, fidem scriptam habeat, quæ asseruetur, & res tota exprimatur in ipsomet libro Matrimoniorum, hac ratione:

Denunciationes huius Matrimonij, factæ sunt etiam à. R. D. N. Pa.

N. Parocho Ecclesiæ S. N. sub cuius cura dictus N. vel dicta N. habitat, vt ex ipsius Parochi scripto seruato apud me apparet. Denunciationum autem prima facta est die secunda die tertia die inter Missæ Parochialis solemnia, nullumq; impedimentum Canonicum detectum est.

Si autem alteruter sit diuersæ Diœc: testimonium Parochi affirmantis, denunciationes esse ritè præstitas, nullius roboris censeatur, nisi ab Episcopo, vel ab eius Vicario Generali illius Diœcesis, subscriptione, & sigillo comprobatum, & ab Episcopo, seu eius Vicario loci, vbi contrahitur matrimonium, recognitum sit, ab eoq; licentia contrahendi fuerit obtenta.

Vbi verò Ordinarij concessu (quod scripto constare debet) denunciationes aliquæ differendæ, aut omittendæ interdum sint, ita notentur.

Anno Domini die mensis Denunciationum vna die ritè facta, reliquis verò dilatis post matrimonij celebrationem, ex facultate scripto concessa à Reuerendiss: N. seu à Vicario N. sub die datis, &c. infra scripti tenoris: quam penes me seruo, cum alijs huiusmodi facultatibus, nulloq; prorsus impedimento allato. Ego, &c. vt supra.

Denunciationes verò, quæ post contractum matrimonium fient, ita scribantur:

Anno die mensis qui fuit Festus, &c. & sequenti, qui fuit Dominicus, &c. eiusdem mensis; Ego N. Rector huius Ecclesiæ S. N. inter Missarum solennia denunciationes habui matrimonij, iam præuia opportuna dispensatione initi inter N. & N. die prima huius mensis; nullum tamen Canonicum impedimentum ab aliquo allatum est, quo minus huiusmodi matrimonium ratum, ac firmum esse debeat.

Si autem denunciationes omnes omittendæ sint, aut differendæ; ita scribantur: Denunciationibus omnibus omissis, vel dilatis, &c. ex facultate, &c. Ego Rector, N. &c. vt supra.

Cæterum si alteri Presbytero ab Ordinario, vel à Parocho ipso, facultas fa-

tas facta sit coniungendi aliquos; id in libro proprij Parochi sic adnotetur ipsius Parochi manu.

N. Presbyter, vel Capellanus Ecclesiæ N. de licentia Reuerendissimi Episcopi N. seu N. eius Vicarij loci N. aut mea, quæ penes me extat N. filium N. & N. &c. matrimonio cõiunxi, &c. vt supra. Et ego N. Parochus N. subscripsi, & testor, rem ita se habere.

Quod si ex denunciationibus compertum sit, coniuges aliquo consanguinitatis, aut affinitatis gradu coniunctos esse, nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipsis Apostolica auctoritate dispensatum, adnotetur gradus consanguinitatis, vel affinitatis dispensatæ, & compendium decreti super ea relati, cũ die & anno, ac notarij de illo rogati nomine, hoc modo.

Anno Domini Die Mensis præmissis denunciationibus, ac comperto impedimẽto, secundi, vel tertij, aut quarti gradus consanguinitatis, vel affinitatis, seu alio quouis, &c. inter N. & N. &c. obtentoq; per eos Apostolicæ Sedis mandato de dispẽsando, & cum eis per Reuerend: Episcopum N. auctoritate dispẽsato, sub die Anno vt cõstat ex Actis Notarij officij prædicti Episcopi, eos matrimonio cõiunxi, &c. vt in prędicta formula.

Denunciationes autem factæ in diuersis Parochijs, sponsi videlicet & sponsæ, ab vtroq; Parocho in libro notarij debent, etiamsi matrimonium non sequatur.

Forma describendi statum Animarum, in quarto libro.

FAmilia quæq; distinctè in libro notetur, interuallo relicto ab vnaquaque ad alteram subsequentem, in quo sigillatim scribantur nomen, cogi omen, ætas, singulorum, qui ex familia sunt, vel tanquam aduenæ in ea viuunt.

Qui verò ad sacram Communionem admissi sunt, hoc signum C. in m rgine contra habeant.

Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, hoc signũ habeant Chr.

Qui ad

Qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subducta linea notentur.

Hac igitur ratione fiat, videlicet:

Anno die Mensis In via seu Platea, seu Pago, in proprijs ædibus Pauli N. vel in ædibus N. à Paulo conductis habitant.

Chr. Paulus N. Petri filius annorum, &c.

Chr. Apollonia eius vxor, filia Iacobi N. annorum, &c.

C. Dominicus eorum filius, annorum, &c.

Lucia eorum filia, annorum, &c.

C. Chr. Antonius filius N. famulus, annorum, &c.

C. Catharina N. filia N. ancilla, annorum, &c.

✠ Martinus filius N. annorum, &c.

Forma describendi Defunctos in quinto libro.

DEscribatur quis, & quæ, & cui Sacramenta ministrauerit, quando quis mortuus fuerit, & vbi sepultus, quod hoc pacto fieri poterit.

Anno die Mensis N. filius N. ex loco N. ætatis N. (si hæc sciri possunt.) in domo N. in communione Sanctæ Matris Ecclesiæ animam Deo reddidit, cuius corpus die sepultum est in Ecclesia S. N. mihi N. vel N. Confessario probato confessus die Sanctissimoq; viatico refectus die & sacri Olei vnctione roboratus etiam per me die

Formulæ Tonorum Psalmi XCIV.

ad Inuitatoria Festorum.

IN FESTO NATIVITATIS,

Circumcisionis, & in Epiphania Domini nostri IESV CHRISTI.



& Rex

& Rex magnus ſuper om nes De os: quoniam



non repel let Dominus plebem ſu am, quia in ma-



nu eius ſunt omnes fi nes ter ræ, & al ti-

tudines mon tium i pſe con ſpi-



cit. Quo niam ipſi us eſt mare, & ipſe

fecit il lud,& aridam fundauerunt ma nus e-

ius: veni te adore mus & procidamus ante

Deum:


De um: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia
ipſe eſt Dominus De us no ſter, nos au tem
populus eius, & o ues pa ſcuæ e-
ius. H o die ſi vocem e ius audi-
e ritis nolite obdurare cor da ve ſtra,
ſi cut in ex acerba tio ne ſecundum di em
tentatio nis in deſerto v bi tentauerunt me pa-
tres ve-



tres ve ſtri, probauerunt & vide runt o-



pera me a. ℣ Qua draginta an-

nis proximus fu i generati o ni, huic, & dixi:



ſemper hi er rant cor de, ipſi ve rò non co-



gnouerunt vias me as, quibus iura ui in i ra



me a, ſi in troi bunt in re quiem

℣ me am. Glo ri a Patri, & Fi-

nn lio, &



li o, & Spiri tu i ſan cto: Si cut e rat



in princi pi o, & nunc, & ſemper, & in



ſæ cula ſæ culo rum A men.

IN FESTO RESVRRECTIONIS DOmini noſtri Ieſu Chriſti, totoque tempore Paſchali, & de Sanctis.

VE ni te exultemus Do mino, iubi le mus



De o ſa lu ta ri no ſtro: præ occupe-

mus faciem e ius in con feſ ſio ne, & in

pſalmis


psal mis iubile muse i, Quo niam Deus
magnus Dominus, & Rex magnus super omnes
De os: quo niam non repellet Dominus plebem
su am, quia in manu eius sunt omnes fines
ter ræ, & al titudi nes montium ipse con spicit.
Quo niam i psius est mare, & ipse
fecit il lud, & a ridam fundaue runt manus


ius: Ve nite adoremus & procida-
mus ante De um, plore mus coram Domino qui fe-
cit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus no-
ſter, nos autem populus eius, & o nes paſcuæ
e ius. Ho die ſi vocem eius audie ri-
tis, noli te obdura re corda ve ſtra:
ſi cut in ex acerba ti one ſecundum di em
tentati-


tenta tio nis in deſerto: vbi tentaue runt me
patres ve ſtri, probauerunt, & vide runt ope-
ra me a. Qua dragin ta annis proximus
fu i genera ti oni hu ic, & dixi; ſemper hi
errant cor de: i pſi ve rò non cognouerunt
vi as me as, quibus iura ui in i ra me a,
ſi introi bunt in requiem me am. Glo ri-



a Patri, & Fi li o, & Spiri tu i ſancto:



Si cut e rat in princi pio, & nunc, &

ſemper, & in ſæ cula ſæculorum. A men.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI, & Pentecoſtes.



E nite exultemus Domino, iubi-



lemus Deo ſa lu ta ri noſtro: præoc cupe mus

faciem e ius in con feſ ſio ne, &

in Pſal-



in pſal mis iubi le mus e i. Quoniam



Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper



om nes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem



ſuam, quia in manu eius ſunt omnes fi nes ter-



ræ, & al ti tudines montium ipſe con-



ſpicit. Quoniam



ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & a ri-

dam fun-



dam fundauerunt ma nus eius: veni te ado remus,



& procidamus ante Deum; ploremus corã Domino qui



fecit nos, quia ipse est Dominus De us no-

ster, nos autem populus e ius, & o ues pa scu-



æ e ius- H odi e si vocem

eius audi e ritis, noli te obdurare cor da ve-

stra, sicut in ex a cerbati one secundum diem

tentati-



tentati onis in deſerto: vbi tentauerunt me pa-



tres ve ſtri, probauerunt & vide runt o pe-

ra mea. Quadraginta



an nis proximus fu i genera ti oni huic,



& dixi, ſemper hi er rant corde: ipſi ve-



rò non cognouerunt vias meas, quibus iura ui in



i ra me a, ſi intro i bunt in re qui-

em me.



IN FESTO SS. TRINITATIS; ET CORporis Chriſti: ac vtroq; S. Crucis feſto, Transfigur: Domini, S. Laurentij, Aſſumpt: B. M. V.




ejus in confessi o ne: & in psal-
mis iubilemus ei. Quoniam Deus magnus Do-
minus, & Rex magnus su per om nes
deos: quoniam non repellet Dominus plebem su am,
quia in manu eius sunt omnes fi nes ter ræ,
& al ti tudines montium ipse con spicit
Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit il lud,


& aridam funda ue runt ma nus eius: Venite
adoremus, & procidamus ante De um, ploremus co-
ram Domino qui fe cit nos, quia i pſe eſt Do minus
De us no ſter, nos au tem populus e ius, & o-
ues paſcuæ eius. H odi e ſi vocem eius audi-
e ri tis, noli te obdura re cor da
veſtra: ſicut in exa cerbatio ne ſecundum di em
tentati-


tentati onis in deſerto, v bi tenta ue runt me
pa tres ve ſtri, proba uerunt & vide runt ope-
ra mea. Quadraginta annis proximus fu-
i genera ti oni huic, & dixi, ſemper hi
er rant corde, i pſi verò non cognouerũt vi as me-
as, quibus iura ui in i ra me a, ſi
in troi bunt in requiem meam. Glori a Pa-



IN FESTO
S. IOANNIS BAPTISTÆ.




le mus e i. Quo-
niam + Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper
omnes de os, quoniam non repel let Dominus plebem
ſu am, quia in manu e ius ſunt omnes fi nes terræ,
& al ti tudines montium i pſe con-
ſpicit. Quo niam i-
pſius eſt ma re, & i pſe fe cit illud, & aridam fun-

dauc-

dauerunt manus e ius: Venite ado re mus,& proci-

damus ante De um:ploremus coram Domino, qui fecit

nos,quia i pſe eſt Dominus Deus noſter,nos au-

tem populus eius, & oues pa ſcuæ e-



ius. Ho di e ſi vocem e-



ius audi e ri tis, noli te obdura re corda veſtra,



ſi cut in ex acerbati o ne, ſecũdum di em tentati-

onis

onis in deserto: v bi tẽtauerunt me patres vestri, pro-

ba uerunt & viderunt o pera me-



a. Quadragin ta annis

proximus fu i genera ti oni huic, & di xi, sem-



per hi errant corde, i psi ve rò non cognoue runt



vias me as, quibus iura ui in i ra mea, si



in troibunt in re quiem me-



am. Glo ri a Patri, & Fi li o, &

Spiri tu i ſancto: Sicut e rat in princi pi o, &



nunc & ſemper, & in ſæcu la ſæcu lo rum.

A men.

IN FESTO VISITATIONIS, NATIVIT: Concept: B.M.V. Omnium SS. S. Martini, Conuerſionis S. Pauli, Mariæ Magdalenæ, Annæ matris Mariæ; & aliarum Mulierum ſanctarum.



V E ni te exultemus Domino, iubile mus Deo ſa-

lu ta ri no ſtro: præoccupemus faciem eius in confeſ-



confessio ne, & in psal mis iubilemus e i.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super

omnes De os: quoniam non repel let Dominus ple-



bem suam, quia in manu eius sunt omnes fines ter-

ræ, & al titu dines monti um i pse con-

spicit. Quoniam i psius est mare, & i pse fe-

cit illud, & aridam fundauerunt manus e ius;

Venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus

coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus



Deus noſter, nos autem populus eius, & oues

paſcuæ eius. Hodie ſi vocem eius audi-

e ritis, noli te obdurare corda veſtra, ſi-

cut in exacerbatione ſecundum diem tentati o nis

in deſerto: vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt,



uerunt, & vide runt o pera me a.

Q uadraginta annis proximus fu i genera ti o ni huic,



& dixi ſemper hi errant cor de: ipſi verò

non cognouerũt vias meas, quibus iura ui in i ra



me a, ſi in tro i bunt in requiem me am.

G lori a Pa tri, & Fi li o, & Spiri tu i ſan cto:

Sicut e rat in principi o, & nunc, & ſemper, &



in sæ cula sæculorum A men.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS B. M. V. & ad Niues, ac in officio paruo ejusdem. Et à Dom: Septuagesimæ, vsque ad Dominicam Passionis: ac in Dedicatione Ecclesiæ.



Veni te exultemus Do mino, iubi le-
mus Deo sa luta ri no stro, præoc cupe mus faci em
e ius in confessi o ne, & in psal mis
iubi le mus e i. Quo niam De-
us magnus Dominus, & Rex magnus super omnes De-
os: quo-

os: quo niam non repellet Dominus plebem ſu am, qui-



a in manu e ius ſunt omnes fi nes ter ræ, &



al ti tudines montium i pſe conſpi cit.

Quo niam i pſius eſt mare, &

i pſe fe cit il lud, & aridam fundauerunt manus e-

ius: Veni te a doremus, & procidamus ante De um:



ploremus coram Domino, qui fe cit nos, quia i pſe

eſt Do-


est Dominus Deus no ster, nos au tem populus
eius, & o ues pa scu æ e ius. Ho-
di e si vocem e ius audi e ritis, noli te ob-
durare corda ve stra, si cut in ex acerba ti one se-
cūdum di em tentati onis in deser to: vbi tenta-
uerunt me patres ve stri, pro ba uerunt, & vi-
de runt o pe ra me a.

Quadra-



Quadragin ta an nis proximus fu i genera-

ti oni hu ic, & dixi, ſemper hi errant cor de: i-

pſi ve rò non cognouerũt vias me as, quibus iura-



ui in i ra me a, ſi in troi bunt in re-



qui em me am. Glo ri a Pa tri,



& Fi li o, & Spiri tu i ſancto: Si cut e rat in



principi pio, & nunc, & ſem per, & in ſæ-

cula sæculo rum A men.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANG: Purificat: B.M.V. Et in commu: Apostol: Mart: Confes: Virginũ: & in Domin: per annum.

VE nite exultemus Domino, iubilemus

Deo sa lu tari nostro: præoccupe mus faciem



eius in confessio ne, & in psalmis iu bile mus e-



i. Quo niam Deus magnus Dominus, &

Rex magnus, super omnes deos: quoniam non repel-

let Do-



let Dominus plebem ſuam, quia in manu e ius ſunt om-

nes fi nes terræ, & l ti tudi nes montium ipſe



conſpi cit. Quo niam ipſius eſt mare,



& i pſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus e-

ius: Veni te adoremus, & procidamus ante De-



um, ploremus coram Domino qui fe cit nos, quia ipſe

eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus e ius, & o-


uespa scu æ e ius. Ho die si vocem
e ius audi eri tis, noli te obdura re corda vestra:
si cut in ex acerbatione secundum diem tenta tionis
in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probaue-
runt & viderunt o pe ra me a. Qua dra-
ginta an nis proximus fu i genera ti oni hu
ic, & dixi, semper hi errant corde: i psi ve rò

non



IN OFFICIO FERIALI per Annum.



ſa luta ri noſtro: præoccupemus fa ciem e ius in con-

feſſi one, & in pſalmis iubilemus e i. Quoniam



Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes

Deos: quoniam non repellet Dominus plebem ſuam,

quia in manu e ius ſunt omnes fi nes terræ, & al-



titudi nes montium ipſe conſpicit. Quoniam i-



pſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fun-

dauerunt

dauerunt manus e ius: Venite adoremus, & proci-

damus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fe-

cit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem

populus eius, & oues paſcuæ eius. Ho di e

ſi vocem e ius audieritis, no lite obdurare cor-

da veſtra: ſicut in ex acerba ti one ſecundum di-

em tenta ti o nis in deſer to, v bi tentauerunt me

patres

patres vestri probauerunt & viderunt ope ra mea.

Q uadraginta annis proximus fu i genera ti oni huic, & dixi, semper hi errant corde; i pſi verò non

cognouerunt vias meas, quibus iura ui in i ra mea,



si introibunt in requiem meam G lori a Patri,

& Fili o, & Spiritu i sancto: Sicut e rat in princi-

pio, & nunc, & semper, & in sæcu la sæcu'orum Amen.

IN OF.

IN OFFICIO MORTVORVM,

Inuitatorium.



Vel aliud sub alio cantu, si placet.







Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos:

quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, quia in ma-



nu e ius ſunt omnes fines terræ, & altitu dines monti-



um ipſe con ſpicit. Quo niam i pſius eſt

mare, & i pſe fecit illud & aridam fundauerunt ma-



nus e ius: Ve ni te adoremus & procidamus an-

te Deum, | loremus corã Domino, qui fecit nos, quia

ipſe



ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autē populus e ius &



oues paſcuæ e ius. Ho di e ſi vocem eius



audi e ritis, noli te obdurare corda veſtra: ſi cut



in exacerba ti one ſecundum diem tentationis in de



ſerto, v bi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt &



vi derunt opera me a. Q ua draginta annis

proximus fu i gene rati oni huic, & dixi ſemper


hi errant corde: i psi verò non cognouerunt vias
meas, quibus iu raui in i ra mea, si introibunt
in requiem me am. R e quiem æternam dona e-
is Domine, & luxperpetua luce at e is.

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

A quatuor Euangelistis conscripta, cum notis Musicis vnaquæq; , iuxta vniformem Ecclesiæ , per vniuersas Regni Poloniæ Prouincias vsum , impressa , & iterum exactiùs recognita.

Passio Dominicæ Palmarum.



us ho-



us hóminis tradétur, vt crucifi gâ tur. C. Tunc con-

gregáti sunt príncipes sacerdôtum, & se nióres pó-

puli, in átrium príncipis sacerdótum, qui dicebá-

tur Cáiphas: & concílium fecérunt, vt Iesum dolo te-

nérent, & occíderent. Dicébant autem: S. Non in

di e fe sto, ne fortè tumúltus fi eret in pópulo.

C. Cùm



C. Cùm autem eſſet Ieſus in Bethá nia, in domo Simô-



nis leprósi, accéſ ſit ad e um múlier, habens ala-



báſtrũ vnguénti preti ô ſi, & effúdit ſuper caput i-

pſi us recumbéntis. Videntes autem diſcipu li,



indignã ti ſunt, di centes: S. Vt quid perditio hæc?



Pó tuit enim vnguéntum iſtud venúndari multò, & da-

ri pau-



ri paupéribus. C. Sciens autem Iesus, a it



il lis: ✠ Quid molésti e stis huic muli e ri?

opus enim bonum o perâ ta est in me. Nã sem-



per páupéres habê tis vobíscum: me autem non sem-



per habe bitis. Mittens enim hæc vngú ẽtũ hoc in



corpus meum, ad sépe li endum me fe cit. Amen

dico



dico vobis, vbicunque prædicátum fú e- rit hoc Euangé-

lium in toto mũdo, dicêtur & quod hæc fecit in



memóriam eius. C. Tunc á bi it vnus de dú o-



decim, qui dici tur Iudas Iſca ri óthes, ad príncipes Sa-



cerdôtum: & a it il lis: S. Quid vultis mihi dare,



& e go eum vob:s tra dam? C. At il li conſtitu-

ſs érunt

érunt e i trigínta argénteos. Et exínde quærê-



bat opportu nitâtem, vt e um tráderet. Prima autem

die azymôrum, accesſérunt discípuli ad Iesum, di-



céntes: S. Vbi vis parêmus tibi comédere Pa scha?

C. At Iesus dixit: ✠ I te in ciui tátem ad quen-



dam, & dícite e i: Magíster dícit: Tempus

meum

meum propè eſt: apud te fáci o Paſcha cum diſcí-

pulis meis. ℣. Et fecérunt diſcípu li, ſicut

conſtituit il lis Ieſus: & parauérunt Paſcha. Véſpere

autem facto, diſcũbêbat cum duódecim diſcípulis ſuis.



Et edéntibus il lis, dixit: ✠ Amen dico vobis:



quia vnus veſtrûm me traditûrus eſt. ℣. Et contriſtá-



ti valdè, cœpérunt línguli dí cere: S. Nũquid ego



sum, Dómine? C. At ipse respóndens, a it: ✠ Qui



intíngit mecum manũ in parópside, hic me tradet.



Fí lius quidem hóminis vadit, si cut scriptũ est de il lo.



Væ autem hómini il li, per quem fi li us hóminis tra-



dê tur. Bonum erat e i, si natus non fuísset ho-

mo ille.



mo ille. C. Respóndēs autem Iudas, qui trádidit e-



um, dixit: S. Núquid ego sum, Rabbi? C. Ait



il li: ✠ Tu dixí sti. C. Cœnántibus autem eis, ac-

cêpit Iesus panem & benedíxit, ac fregit, deditq; di-



scípulis su is, & a it: ✠ Accípite, & comédite:



Hoc est Corpus meum. C. Et accípi ens cálicem, grá-



ti as egit: & dedit il lis dicens: ✠ Bíbi te ex



hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamén-



ti, qui pro multis effundêtur in remissiônem pec-



catô rum. Dico autem vobis: non bibam à mo-



do de hoc genîmine vitis, vsque in diem illum, cùm



illud bibam vobíscũ nouum in regno Patris mei.

Et hy-



C. Et hymno dicto, e xiérunt in montem Oliuéti.



Tunc dicit il lis Ieſus: ✠ Omnes vos ſcándalum

pati é mini in me, in iſta nocte. Scriptũ eſt



enim: Percútiam paſtórem, & diſpergéntur oues



gregis: poſtquã autem reſurréxe ro, præcédam vos in Ga-



lilæ am C. Reſpóndẽs autem Petrus, a it illi:

Et ſi



S. Et ſi omnes ſcandali záti fú erint in te, ego nun-



quam ſcandalizâbor. C. Ait il li Ieſus: ✠ A-

men dico ti bi; quia in hac nocte, ántequam gallus



cantet, ter me ne g bis. C. Ait il li Petrus:



S. E tiam ſi oportú erit me mori tecum, non te negâ-

bo. C. Simí liter & omnes diſcípu li dixérunt. Tunc

venit



venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsema-



ni: & dixit discípu lis su is: ✠ Sedête hic,



donec vadam illuc, & orem. C. Et assúmpto Petro,

& duôbus fí li is Zébedæi, cœpit contristári, &



mœstus esse. Tunc a it illis: ✠ Tri-



stis est á nima mea vsque ad mortem. Sustinê-



te hîc,& vigi lá te mecum. C. Et progressus pusíl-



lum, prócidit in fá ciem súam, orans, & dicens:



✠ Pater mi, si possíbi le est, tránseat à me calix



iste. Verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut

tu. C. Et venit ad discípulos suos, & inuênit eos



dormiéntes: Et dicit Petro: ✠ Sic, non potuí-

stis vna



ſtis vna hora vigilâ re mecum? Vigi láte, &



o râ te: vt non intrétis in tentá ti ó nem. Spíri-

tus quidem prõptus eſt, caro autem in firma. C. I-



terùm ſecundò á bijt, & oráuit, dicens: ✠ Pa-



ter mi, ſi non poteſt hic calix transire, ni ſi bibam



illum; ſi at vo lúntas tua. C. Et venit í te-

rum, & inuênit_e os dormiéntes. Erant enim ó cu-

li eôrum grauáti. Et relictis illis, í terùm

ábiit: & oráuit tértiò, eúndem sermônem dicens.



Tunc venit ad discípulos suos, & dicit illis:



Dormite iam, & requié scite. Ecce appropin-

quáuit hora: & fílius hóminis tradêtur in manus

pecca-


pecca tô rum. Súrgite, e á mus: ecce appropin-
quáuit qui me tradet. C. Adhuc e o loquénte,
ecce Iudas vnus de duódecim venit, & cum eo
turba multa cum gládiis & fústibus, missi à princi-
pibus sacerdôtum, & se nió ribus pópuli. Qui au-
tem trádidit eum, dedit il lis signum, dicens: S. Quem-
cunque

cúnque oſculátus fúe ro, i pſe eſt, tenête eum.



C. Et conféſtim accédens ad Ieſum, dixit: S. Aue Rab-



bi. C. Et oſculátus eſt eum. Dixítque il li

Ieſus: ✠ Amîce, ad quid vení ſti? C. Tunc ac-



ceſſérunt, & manus iniecérunt in Ieſum: & tenuérunt



eum. Et ecce vnus ex his qui erant cum Ie-

ſu, extén-

ſu, exténdens manum, exêmit gládium ſuum: & percú-



tiens ſeruum príncipis ſacerdôtum, amputâuit aurícu-

lam eius. Tunc a it il li Ieſus: ✠ Con-



uérte gládium tuum in locum ſuum. Omnes enim,

qui accéperint gládium, gládio perí bunt. An



putas, quia non poſſum rogáre Patrem meum: & ex-

hibebit



hibébit mihi modò plus quàm duódecim legi ónes An-



ge lo rú? Quómodo ergo implebuntur scriptú ræ,

quia sic opórtet fi e ri? C. In il la hora



dixit Iesus turbis: ✠ Tanquam ad latrónem



exí stis cum gládi is & fústibus comprehéndere me?



Quotídie apud vos sedébam docens in templo: &

non me



non me tenuí stis. Hoc autem totum factum



est, vt adimplerentur scripturæ Prophetârum. ℣. Tunc



discí puli omnes, relicto eo, fugérunt. Ar



il li tenéntes Iesum, duxérunt ad Cáipham prín-



cipem sacerdótum, vbi Scribæ & seni óres conué-



nerant. Petrus autem sequebátur eum à longè,

vsque in átrium príncipis ſacerdôtum. Et ingréſſus

intrò, ſe dêbat cum miníſtris, vt vidêret finem.

Príncipes autem ſacerdôtum, & omne concílium,

quærébant falſum teſtimónium contra Ieſum, vt e-

um morti tráderent: & non inuenérunt, cùm multi

falſi teſtes acceſsíſſent. Nouíſſimè autem vené-

runt duo



runt duo falſi teſtes, & dixé runt: S. Hic dixit;



Poſſum deſtrúe re templum Dei, & poſt trídu-



um re ædi ficá re illud. C. Et ſurgens princeps ſa-



cerdôtum, a it il li: S. Nihíl reſpondes ad



ea, quæ i ſti aduérſum te teſtifican tur?



C. Ieſus autem tacêbat. Et princeps ſacerdôtum


a it illi: S. Adiûro te per Deum vi-
uum, vt dicas nobis, si tu es Christus fi lius
De i: C. Dicit il li Iesus: ✠ Tu
dixí sti. Verúm tamen dico vobis: à modò
vidé bitis fí lium hóminis sedéntem à dextris
virtú tis Dei, & veniéntem in núbibus
cæli.


cæli. C. Tunc princeps sacerdótum scidit vestimén-
ta su a, dicens: S. Blasphemâuit, Quid adhuc
egêmus téstibus? Ecce nunc audí stis blasphémi-
am. Quid vobis vidê tur? C. At il li respondén-
tes, di xérunt: S. Reus est mortis. C. Tunc ex-
puérunt in fáciem eius: & cólaphis eum ceci-
derunt.



dérunt. A lij autem palmas in fáciem eius: dedé-

runt, di céntes: S. Prophetíza nobis Christe: quis est,



qui te percúſſit? C. Petrus vero ſedébat foris,

in átri o. Et accéſſit ad eum vna ancílla,



dicens. S. Et tu cum Ie ſu Gali læo eras. C. At

il le negáuit coram ómnibus, dicens: S. Néſcio quid dicis.

dicis. C. Exe únte autem illo iánuam, vidit e-



um á li a ancílla: & a it his, qui erant i bi:

S. Et hic erat cum Iesu Nazaréno. C. Et íterùm



negâuit cum iuraménto: quia non noui hóminem.



Et post pusíllum accessérunt qui stabant: & dixérunt

Petro. S. Verè & tu ex il lis es: nam & loquêla tua ma-



rua manifestum te facit. C. Tunc cœpit detestá ri

& iurâ re : quia non nouisset hóminem. Et continu-



ò gallus cantáuit. Et recordâtus est Petrus verbi

Iesu, quod dixerat: Priúsquam gallus cantet, ter me negá-

bis. Et egréssus foras, fleuit amárè. Manè autem

facto, consilium inierunt omnes príncipes sacerdôtum,

& seni-



& ſeni óres pópuli aduérſus Ieſum, vt eum morti

tráderent. Et vinctum adduxérunt eum, & tra-

didérunt Póntio Pilá to præſidi. Tunc videns Iu-



das, qui trádidit eum, quòd damnátus eſſet: pœniténti-



a ductus, rétu lit triginta argénte os principibus ſa-



cerdótum & ſenióribus, dicens: S. Peccáui, tradens

ſánguí-

sánguinem iustum. C. At il li dixé runt: S. Quid ad nos?

tu víderis. C. Et proiéctis argénteis in templo,

recéssit: & ábiens, láqueo se suspéndit. Princi-

pes autem sacerdôtum, accéptis argénteis, dixé runt:



S. Non licet eos míttere in córbonam: quia prêtium



sánguinis est. C. Consílio autem íni to, emérunt ex

illis a-

il lis agrum fi guli, in ſepultúram peregrinôrum. Pro-



pter hoc vocátus eſt ager il le, Hacêldama, hoc eſt,

ager ſánguinis, v ſque in hodiérnum diem. Tunc im-



plétum eſt, quod dictum eſt per Ieremî am prophêtam



dicéntem. Et accepérunt trigínta argénte os préti-

um appreti áti, quem appretiaué runt à fi li js Iſra-

el, &

él, & dedérunt eos in agrum figu li, ſicut conſtitu-

it mihi Dóminus. Ieſus autem ſtetit an te Præſidem.



Et interrogáuit eum Præſes, dicens: S. Tu es Rex



Iudæó rum? C. Dicit il li Ieſus. ✠ Tu di-

cis. C. Et cúm accu ſarêtur à princípí bus ſacer-

dôtum & ſeni ó ribus, níhil reſpóndit. Tunc dicit il-

li Pilátus:



li Pi látus: S. Non audis, quanta aduérsum te di-



cunt testimónia? C. Et non respóndit ei ad vllum

verbum: ita vt miraré tur Præses vehemènter. Per diem

autem solémnem consuéuerat Præses dimittere pópulo

vnum vinctum, quem voluíssent Habébat autem tunc



vinctum insignem, qui dice bátur Barábbas. Congregá-

tis ergo



tis ergo il lis dixit Pi látus. S. Quem vultis di-



míttam vobis: Barábbam, an Iesum, qui dícitur Christus?



S. Sciébat enim, quòd per inuídiam tradidíssent eum.



Sedénte autem il lo pro tribunáli, misit ad eum



vxor eius, dicens: S. Nihil ti bi & iusto il li:



multa enim passa sum per visum hó die propter eum.



-Aeum. C. Príncipes autem ſacerdótum & ſenióres

perſuaſérunt pópulis vt pêterent Barábbam: Ieſum ve-



rò pérderent Reſpóndens, autem Præſes, ait il lis



Quem vultis vobis de duo bus dimít ti? C. At il li



dixé runt. S. Baráb bam. C Dicit il lis Pi-



látus: S. Quid ígi tur fâ ciam de Ieſu, qui dící tur

Chriſtus?



Christus? C. Dicunt omnes: S. Crucifigátur. C. A-



it illis Præses; S. Quid enim mali fecit?



C. At illi magis clamábant dicéntes: S. Crucifigá-



tur. C. Videns autem Pilátus, quia nihil proficeret,

sed magis tumúltus fíeret: accépta aqua, lauit manus



coram pópulo, dicens: S. Innocens ego sum à

sángui-



sánguine iusti huius: vos vidé ritis. C. Et respóndens



vniuérsus pópulus, dixit. S. Sanguis eius super



nos, & super fi li os nostros. C. Tunc dimisit illis



Barábbam: Iesum autem flagellátum trádidit e is, vt



crucifigerétur. Tunc mílites Præsidis susci pién-



tes Iesum in prætórium, congregauérunt ad eum v-



niuérſam cohórtem. Et exu éntes eum, chlámydem

coccíneam circumdedérunt e i. Et plecténtes coró-



nam de ſpínis, poſuérunt ſuper caput eius: & a-



rúndinem in déxtera eius. Et genu flexo ante e-



um, illudébant e i, dicen tes: S. Aue Rex Iudæ-



órum. C. Et expuéntes in eum, accepérunt arúndinem,

& per-



& percutiébant caput eius. Et postquã il lusérunt

